


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



Historia Zaringo badensis

Johann Daniel Schoepflin, Officina Macklotiana

Digitized by Google

Weis sculp. Argent:

XV. C. 2



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


HISTORIA ZARINGO BADENSIS

AUCTOR

IO. DANIEL SCHOEPFLINUS

HISTORIOGRAPHUS FRANCIAE

TOMUS SECUNDUS



CAROLSRUHAE

EX OFFICINA MACKLOTIANA

MDCCLXIV.

Digitized by Google

DD
801
.B16
S37
v.2

Digitized by Google

Stephen Spaulding mem. coll.
Carl Schmidt
5-10-54
S 53266

CONSPECTUS TOMI II.

LIBER IV. BADENSIS.

III. PERIODUS RUDOLPHINA.

Digitized by Google

IV. PERIODUS BERNHARDIANA.

Digitized by Google

ORDO
TABULARUM GENEALOGICARUM.

ORDO
TABULARUM AERI INCISARUM.



HISTO-

Digitized by Google

. P H I N A.

plura S... n vendit ei quartam partem Castri veteris Eberstein pro 375. ...imum jus in Comitatum ad Badenses pervenit.

ADEL... Abbat... Lich... tha... † A. ...	...en. ...o, Domi- ... Ux. Jo- ...itis Mon- ... Comitis ...ua. ...DIS, ... March.	RUDOLPHUS III. Stollhovam, Selingam, Hügelshemium emtione An. 1309. comparat, † A. 1332. Ux. Gertrudis, Comitissa de Strasberg.	IRMENGARDIS, nupta Eberhardo Comiti de Wirtemberg.

FRI...



Digitized by Google



HISTORIAE ZARINGO-BADENSIS
LIBER QUARTUS.
PERIODUS TERTIA RUDOLPHINA.

CAPUT I.
RUDOLPHUS I. AB A. 1242. ---- 1288.

---

§. I.



Universam Domus Zaringo-Badensis Historiam in septem Periodos majores divisimus; quarum quatuor priores, Alsato-Brisgovicam, Zaringicam, Hermannianam & Hachbergicam Tomus primus exposuit. Nexus.

Rudolphina, Bernhardiana & Chriſtophoriana exponendæ ſuperſunt.

Rudolphina, quam aggredimur, ſex conſtat Rudolphis; quorum primus & ſextus Marchiam omnem, reliqui in partes diviſam, poſſederunt, quibus Principis dignitas fere fuit oneroſa.

Sex Hermannis ergo, quos ſupra enarravimus, ſex ſuccedunt Rudolphi; centum & viginti circiter annorum explentes ſpatium, ſuo fine memorabile; quod Rudolphus VI. diſperſas in corpus recollegerat partes; cui novum vigorem & priſtinum robur conciliavit ſucceſſor, novæ epochæ conditor, Marchio Bernhardus.

§. II.

Rudolphus I.

Rudolphus Badenſes inter Marchiones hujus nominis primus; Hermanni V. ex Irmengarde Palatina filius; Hermanni VI. qui genus ſuum in Auſtria propagaturus credebatur, natu junior frater; ſtirpem Badenſem propagavit in Marchia.

Hermannus perpetuas inter turbas rexerat Auſtriam. Rudolphus in diuturno illo Germaniæ interregno, quod vocant, Marchiam regens, illi parti adhæſit, quæ Hohenſtauffiis adverſa, Henricum Raſponem, Thuringiæ Landgravium, atque deinceps Richardum, Regis Angliæ fratrem, Germanorum Reges agnovit.

Digitized by Google

§. III.

Munificus & liberalis in ecclesias, more gentis suæ & seculi, fuit noster Rudolphus.

Munificentia in ecclesias.

Junctis enim cum fratre Hermanno consiliis jura patronatus in Ettlingen & Baden, decimas in Iffitsheim, villas Winden & Buere, curias in Osse & Eberstein aliaque bona A. 1245. matri suæ donavit; quæ, condito a se prope Badam Lucidæ Vallis Cisterciensium parthenio, quod ingressa est, bona illa tradidit.

Parthen. Lucidæ Vallis.

Tria post lustra curiam quoque in superiori parte villæ Summesheim (a) Rudolphus eidem claustro concessit, ut in parentum suorum & Hermanni fratris sui, Austriæ Ducis, anniversariis lautius viverent moniales. (b)

A. 1277. dimidiam partem decimarum oppidi Etthe-ningen (Ettlingen) eidem Lucidæ Vallis cœnobio donavit Rudolphus. (c)

§. IV.

Marianum Bickesheimense Fanum, bihorio ab Ettlinga distans, si non primum, certe primarium conditorem Rudolphum

Fanum Bickesheim.

(a) Sunnesheim, hodie *Sinsheim* prope Badam & Lucidam Vallem.

(b) GAMANSIUS *Genealog. Bad.* pag. 181.

(c) Cod. Diplomat. Badens.

RUD. I.

noſtrum agnoſcit. Ædes hæc, ſacris peregrinationibus inclyta, Rhenum inter & Martianæ ſilvæ montes, in fertili & amœna planitie ſita, ad hunc uſque diem conditoris ſui & Cunigundæ Eberſteiniæ, uxoris ejus, inſignia primæ columnæ inſculpta, conſervat, quæ ſuo loco exhibemus lectori. (*d*)

Roſa quinque foliorum Eberſteiniæ gentis fuit primævum inſigne. Hæc non modo in columna, ſed & in feneſtris, retro altare minoris eccleſiæ nunc flavo, nunc rubro colore picta variis modis reperitur.

Feneſtræ ædificio coætaneæ, adeoque quingentorum annorum ſunt opus. Ædificatio circa A. 1250. facta cenſetur. (*e*)

§. V.

Monaſter. in Alba.

A. 1251. Rudolphus confirmavit ea, quæ parentes fraterque Hermannus monachis in Alba conceſſerant. (*f*)

Ejusdem Albani monaſterii Charta anni ſequentis oppidi *Etheningen* munita ſigillo, mentionem facit *Illuſtris Dom. R. Marchionis de Baden & Advocati ejus Monaſterii in villa Malſch.*

A. 1155. monialibus in Steinheim ſuam curiam ibidem cum pacto reluitionis vendidit Rudolphus. (*g*)

(*d*) Inter ſigilla domus Badenſis.


(*e*) Germanica hujus fani deſcriptio A. 1747. impreſſa Moguntiæ.

(*f*) Alba Dominorum monaſterium A. 1148. fundatum.


(*g*) PETRI *Suevia Eccleſiaſtica* pag. 756. ſeq. BESOLD. in monaſter. virg.

Digitized by Google

Bickesheim. Fani Fenestrae.



Bickesheim. Columna.



Weis fe.

Digitized by Google

Digitized by Google

A. 1256. festo b. Jacobi Erlewinus scultetus Pforzheimensis expedivit literas, quibus monachi in Alba coëmerunt partem decimarum in Dietenhausen, iisque appendit sigillum civitatis, quod gentilitia Badensium insignia exhibet, manifesto indicio, Pforzhemium jam tum sub Marchionum fuisse ditione. Idem apparet ex literis A. 1257. quibus Rudolphus Marchio & uxor ejus Cunigundis, Erlewino Libeneccio bona sua in veteri juxta Pforzhemium civitate (*in der alten Stadt*) Pforzheimensibus monialibus testamento legandi facultatem concesserunt.

Oppidum hoc ab Hermanni V. temporibus uxorio jure ad Marchiones Badenses devolutum publicisque tabulis ab Imperatore Friderico II. confirmatum fuisse asserit MAJUS. (*h*)

Idem Rudolphus Abbati Schœnaugiensi Benedictino Diœcesis Wormatiensis A. 1260. permisit, ut bona, quæ a proavo ejus in Opphouuen dono accepit, venderet. (*i*) Schœnaug.

§. VI.

Idem Marchio cum Godesaviensibus Benedictinæ Cluniacensium regulæ monachis, haud procul Durlaco, super plantatione villæ prope Eckenstein, A. 1260. transegit per arbitros. (*k*) Godesaug.

(*h*) *In vita* REUCHLINI p. 6. & 119. ubi Hermannum hunc appellat sextum.

(*i*) GUDENI *Sylloge Diplom.* num. 121. *Oppau* vicus inter Manhemium & Franckenthal.

(*k*) Cod. Diplom. Zaringo-Badens.

Digitized by Google

RUD. I.

Eidem cœnobio duo talenta Hallenfia ex villa fua *Neuereuth* annuatim percipienda, nec non decimas minutas villæ *Linckenheim* A. 1272. adfcripfit, & biennio poft, una eum conjuge duas curias in Burthen, (*Beyerten*) quas Wezelo Comes & Henricus miles ei dederant, in caftro fuo Grezingen confirmavit. (*l*)

Schwarzach.

Schwarzacum, aliud Ordinis S. Bened. Cœnobium, per literas, A. 1288. Eberfteinii datas, vineam in Alswiler ab eo quoque accepit in donum. (*m*)

Backnang.

Backnangæ ecclefiam, ab hoftibus vaftatam, Rudolphus cum fratre fuo Hermanno reftauravit. (*n*) Eorundem fratrum *Hermanni* & *Rudolphi*, *Marchionum de Baden*, precibus inductus Innocentius IV. Pontifex Maximus Magiftro Bertoldo, rectori ecclefiæ de Acher, Argentinenfis diœcefis, privilegium præter beneficia ecclefiaftica, quæ jam tum habuit, aliud quoque beneficium feu dignitatem recipiendi conceffit. (*o*)

§. VII.

Res geftæ.

Rudolphus nofter in ecclefias liberalis Marchiæ tamen fuæ non parum profpexit.

(*l*) GAMANSIUS pag. 188.

(*m*) Tabularium Schwarzac.

(*n*) SATTLER Würtenberg. Part. I. pag. 135.

(*o*) Codex Diplom. Badenf.

Digitized by Google

Steinbaco, Marchionatus ſui oppido, jus nundinarum eo modo, quo Friburgum Brisgoviæ illud exercebat, a Richardo Rege Romanorum A. 1258. obtinuit. (*p*)

A. 1263. quarto Kal. Sept. Bertoldus Advocatus & Belreimus fratres de *Wizenſtein* (*q*), omne jus ſuum in caſtro Liebenecke & in villa Wirme, in illuſtrem Dominum ſuum, Rudolphum Marchionem de Baden, transtulerunt; vaſallis ſuis poteſtatem concedentes, ut villam *Huochevelt* eidem reſignent. (*r*)

Ex caſtro illo Liebenecke Rudolphus literas Argentinenſibus ſcripſit anno, uti videtur, 1269. (*s*)

Eidem Rudolpho Ulricus, Comes Palatinus in Tübingen bona ſua in Forch & Niederbiel A. 1264. ſuperadditis 200. marcis argenti conceſſit. (*t*)

Belli A. 1266. a Palatino & Rudolpho Marchione de Baden cum Epiſcopo Spirenſi Henrico Comite de Leiningen geſti, mentionem facit LEHMANNUS. (*u*)

§. VIII.

Conradinus ultimus ſtirpis Hohenſtaufficæ ſurculus, cum Friderico, Rudolphi noſtri ex fratre nepote A. 1268. Neapoli — Acta poſt A. 1268.

(*p*) IOH. GAMANSIUS loc. cit. pag. 194.
(*q*) *Weiſenſtein.*
(*r*) Codex Diplomat. Bad.
(*s*) WENCKER in *Apparatu Archiv.* pag. 179.
(*t*) GAMANSIUS.
(*u*) Lib. V. cap. 101. pag. 547.

Digitized by Google

capite quum fuiſſet truncatus, (x) patruum ex Suevica Conradini hereditate aliquid occupaſſe tradunt, ſed occupata vel ſilent, vel male deſignant. (y) Rudolphus I. Cæſar bona illa vindicaturus coronæ, Rudolpho Badenſi indixerat bellum, Marchionem, pluresque Sueviæ, Franconiæ & Alſatiæ nobiles terrarum Imperii uſurpationis accuſans.

Extat Rudolphi Marchionis ſcriptum A. 1274. quo diſerte teſtatur, cum omnibus munitionum ſuarum *Sels* & *Seldenowe* devaſtatoribus, Leiningæ nimirum ac Biponti Comitibus, Fleckenſteinii Dynaſtis, civibusque Argentinenſibus ſe rediiſſe in gratiam, die Dominica poſt Sancti Jacobi. (z)

Ludovici Palatini aliorumque auxilio in bello hoc uſus eſt Cæſar. (a)

Addunt

(x) Vide ſupra Tom. I. pag. 330. ſq.

(y) HISTORIA AUSTRALIS ad A. 1276. IRENICUS *Exeg. Germ.* Lib. VI. c. 108. HEDIO in *Paralip.* ad *Chron. Urſperg.* CRUSIUS *Annal. Suev.* Part. III. Lib. III. cap. 20. Pforzhemium huc refert; quod tamen Marchicæ ditionis jam antea fuerat, ut ſupra §. V. oſtenſum, & ex charta ejusdem Rudolphi A. 1258. Maulbronnenſi cœnobio data, apparet. Adde THOM. CANTIPRATAN. *de Miraculis* Lib. II. Male quoque Cellam (*Liebenzell*) huc refert IRENICUS.

(z) Ap. WENCKER *Appar. Archiv.* pag. 180. NAUCLERUS *in Chron.* Vol. 2. Gen. 43. fol. 966. add. Alſat. illuſtr. Tom. II. pag. 181.

(a) HISTORIA AUSTRALIS *plenior* ab initio, ap. FREHER. *Script. rer. Germ.* Tom. I. pag. 470.

Digitized by Google

Addunt nonnulli, Durlacum & Mülbergam tum fuisse occupatas & Grezingæ castrum eversum. (*b*)

Finito bello Rudolphus noster pacem religiose servavit; ipsumque Imperatorem Hagenoam est secutus; ubi cum civitate quoque Argentinensi Cæsar in gratiam rediit; (*c*) intercedente Marchione Rudolpho, qui centum & octoginta marcas argenti pro damnis illatis præstandas ei pollicitus est; cujus promissi Henricus, Comes de Fürstenberg, Henricus Marchio Hachbergicus, Sigismundus Comes Bipontinus junior, & Hermannus Marchio, Rudolphi filius, dati sponsores. (*d*)

§. IX.

Bellum cum Episcopo Argent.

Biennio post Argentinensis Episcopus Rudolpho nostro intulit bellum.

ANNALES COLMARIENSES ad A. 1279. rem ita referunt: „ Conradus de Lichtenberck, Episcopus Argentinensis castellum Turlac per ignem destruxit, & quæ in eo reperit deportavit. „ Bellum hoc, ut iidem nos docent Annales

(*b*) KOENIGSHOV. *Chron. Argent.* p. 118. *Paralipom.* pag. 258. FUGGER. *Oesterreich. Ehrensp.* Lib. I. pag. 92.

(*c*) *Alsat. Illustr.* Tom. II.

(*d*) Instrumentum datum Hagenoæ *an dem Zinsdage nach S. Johanses Mess* 1276. ap. WENCKER. *Collect. Archivi & Cancellar.* pag. 59.

Digitized by Google

usque ad A. 1281. continuatum: „ Quo Episcopus Argen-
„ tinensis congregata militum multitudine Domino de Badin
„ quoddam oppidum noscitur obsedisse. Episcopus vero Basi-
„ liensis sibi quinquaginta milites in auxilium transmittebat.
„ Plures autem ex eis à Marggravio capiuntur, propter quod
„ pax eorum pristina reformatur.

§. X.

Matrimonium.

Felicioribus Rudolphi fatis accensendum est matrimonium cum Cunigunda, Ottonis senioris, Domini in Eberstein, filia, ex qua non tantum numerosa proles, sed & primum in terras Ebersteinenses jus Badensibus natum est.

Pertinet huc charta A. 1277. qua Rudolphus, Marchio Veronensis, Hermannum, Rudolphum, Hessonem & Rudolphum, filios & heredes suos, ut & socerum suum Dominum Ottonem seniorem de Eberstein, qui sigillum chartæ appendit, ipse memorat.

Socero defuncto, cum filio ejus Ottone juniore affine suo, A. 1283. die VIII. post Sanctæ Walpurgis de hereditate uxoris transegit, partem illam veteris castri Eberstein nactus, quam Bipontinus Comes, Simon antea possederat. (e) Præter hæc quartam partem ejusdem castri pro 375. marcis argenti Rudolphus

(e) *Carlsruher Sammlungen* pag. 366. Ebersteinensia ibi egregie & solide dilucidavit Ill. PREUSCHEN. Vid. p. 337. sqq.

Digitized by Google

coëmit, atque Eberfteinii deinceps fedit frequenter. (*f*) Sed & quandoque fedit Pforzhemii. (*g*)

Super Altenfteiga litem aluit cum Burcardo, Hohenbergico Comite, quæ A. 1288. Rudolpho I. Rege Romanorum jubente terminata per arbitros. (*h*) Ceterum durante longa illa anarchia Germaniæ inductus eft nofter Rudolphus Marchio, ut Veronenfis quoque Marchiæ, ab avo & proavo poffeffæ, renovaret memoriam. In figillo enim chartæ A. 1260. *Marchio de Verona*, in ipfa autem charta tantum Marchio *de Baden* vocatur. In alia A. 1277. *Rudolphus Dei gratia Marchio Veronenfis Dominus de Baden.*

§. XI.

Mors & fepultura.

Exceffit e vita die 19. Novembris A. 1288. (*i*) poftquam Monafterio Lucidæ Vallis, in quo mox fepeliendus erat, præter ea, quæ jam dederat, centum marcas argenti donaffet; quod ipfi ejus filii fuis literis firmarunt. (*k*)

Cunigunda uxor idem Monafterium ingreffa, quo anno excefferit vita, non conftat. Necrologium Lucidæ Vallis diem tantum obitus ejus notat, X. Kalendas Maji. (*l*)

(*f*) Charta in Codice Diplomatico Badenfi.
(*g*) GAMANSIUS.
(*h*) Charta Archivi Bada-Durlac.
(*i*) Lapis fepulcralis in choro ecclefiæ Lucidæ Vallis: *Anno Domini MCCXIIC obiit Rudolphus Marchio fenior de Baden in die S. Elifabeth.*
(*k*) Die Veneris ante S. Luciæ 1288. apud GAMANSIUM loc. cit. p. 202. fq.
(*l*) SCHANNAT *Vindem. Lit.* Coll. 1. pag. 166.

Digitized by Google

RUD. I.

Liberi. Rudolphus I. præter quatuor filios jam antea memoratos, Hermannum VII. Rudolphum II. Hessonem & Rudolphum III. filias quoque duas reliquit, ut patris & filiorum chartæ plures testantur. Adelheidis ultra 30. annos Abbatissa Lucidæ Vallis monasterio præfuit, atque die XVII. Calendas Septembris A. 1295. decessit. (*m*)

Irmengardis Eberhardo, Comiti Wirtembergico, nupsit. (*n*)

(*m*) GAMANSIUS pag. 197.

Sexta Adelheidis adest, oriunda ex stemmate celso,
Heroum Bada quos suscipit alma Duces,
Triginta cum casta duos præfedit in annos
Sacris virginibus, mens pia juncta Deo est.
Rexit ab A. 1263. ad A. 1295.

(*n*) SATTLER Part. I. pag. 135. PREGIZER in libro, cui tit. *Wirtenberg. Cedernbaum* pag. 7. nuptias has anno 1297. celebratas fuisse scribit. At in literis jam A. 1296. datis feria quinta ante festum B. Johannis Baptistæ, quibus Eberhardus juri suo in villas Langensteinbach, Uttelsbur (*Ittersbach*) & Wolmarsbur in gratiam monachorum in Alba renuntiat, id facere se ait pro se, *collaterali sua, Irmingarde, uxore legitima*, suisque liberis.



CAPUT II.

HERMANNUS VII.

AB ANNO 1288 — 1291.



§. I.

Hermannus hic, Rudolphi I. filius natu maximus fuit, ſtirpisque propagator. Conradi Epiſcopi Spirenſis laudo A. 1246. ſubſcripſit *Hermannus filius Marchionis;* & quidem poſt Comites; adoleſcens patria ſub poteſtate conſtitutus. (*a*) Hermannus VII.

§. II.

In literis Conradini, Sueviæ Ducis poſtremi, quibus Bavariæ Duci A. 1266. Donawerdam legavit, (*b*) teſtis quoque hic comparet Hermannus. Res geſtæ.

B 3

(*a*) Vide ſupra Tom. I. cap. VI. §. I. pag. 322.

(*b*) *Bayriſche* Deduction contra *Oeſterreich.*

Digitized by Google

HERM. IX.

A. 1277. Hermannus, Rudolphus & Hesso, Marchiones de Baden, castrum Lindenfels cum hominibus ei adscriptis, quod a patre suo (Rudolpho) vivo adhuc, cum aliis terris acceperant, Comiti Palatino ad Rhenum *secundum jus & consuetudinem terræ* tradiderunt. (c)

A. 1278. in documento, quo Comes Fridericus de Truhendingen domui ordinis Teutonici in Oettingen bona quædam in Pfeffingen dono dedit, (d) idem Hermannus post Conradum Ducem de Tekke inter illustres & principes memoratur in Rudolphi I. Imperatoris diplomate A. 1282. quo filios de Ducatu Austriæ investivit. Sequitur eum Henricus Marchio de Hochperg. (e)

Ad patris exemplum usus est titulo *Marchionis Veronensis*, *Domini de Baden*, *Dominique in Eberstein.*

A. 1281. patre adhuc vivo cum Biponti Comitibus propter Liutolsheim (Lidolsheim) & Ruchesheim (Rusheim) bellum gessit, quod certis deinceps conditionibus compositum; ita, ut simul occasio acquirendorum vicorum Spielberg & Dür-

(c) *Reichsständische Archival-Urkunden* in causa equestri Tom. I. Sect. III. cap. IV. membr. II. num. I. pag. 449. Pretium in fragmento haud expressum, sed referunt Excerpta Actorum Compromissi Aurelianensis, & TOLNER in *Historia Palatina* pag. 42. solutas fuisse 2300. marcas.

(d) MEICHSNERUS *Decis. Cam.* Tom. II. pag. 272.

(e) Deduction de la maison de Baviere Tom. II. p. 428.

Digitized by Google

HERM. VII.

renwetterſpach (hodie Hohenwetterſpach) ad Marchionem tranſiret, filia autem Marchionis, Comiti Henrico, completo anno XII. collocanda deſponderetur. (*f*)

Eodem anno Hermannus & Rudolphus fratres, Marchiones Badenſes, oppidum ſuum Selſe Conrado Epiſcopo & Eccleſiæ Argentinenſi in feudum femininum obtulerunt. (*g*)

A. 1283. Hermannus junior Marchio Badenſis reditus ſuos in *Knodelingen* & *Nuwerute* (*h*) civi cuidam Argentinenſi pro XXVI. marcis argenti oppigneravit, unde Præfecturam Mülbergenſem, quæ vicos eos complectitur, vivo patre poſſediſſe Hermannum haud immerito colligimus. Rudolphum I. filiis ſuis terrarum partem vivum tradidiſſe paullo ante oſtenſum. Ipſe cum filiis ſuis A. 1287. & ſex mille armatis contra Burcardum, Hohenbergæ Comitem, prope caſtrum Altinſtiage, quod Burcardi fuerat, pugnavit. (*i*)

§. III.

Mors & ſepultura.

Obiit A. 1291. Hermannus noſter, in Capella Marchionum Monaſterii Lucidæ vallis ſepultus. Sepulcralis ejus lapis

(*f*) GAMANSIUS. Ill. PREUSCHEN. *in Carlsruher Sammlungen* p. 366. CROLLIUS de Comitibus Bipont.

(*g*) Alſatia Illuſtr. Tom. II. pag. 181.

(*h*) Hodie *Knielingen* & *Neureuth*.

(*i*) CRUSII *Annal. Suev.* Tom. II. Part. 3. Lib. 3. pag. 162.

Digitized by Google

HERM. VII.

adhuc cum inscriptione hæc habet: „Anno Domini MCCXCI. „ obiit Hermannus Marchio de Baden in divisione Apostolorum. (*k*) „ Festum hoc in diem XV. Julii tum incidit.

§. IV.

Uxor.

Uxor ejus Agnes, Henrici & Conradi, Comitum de Vaihingen soror fuit. (*l*) Vidua Friderico, filio suo, literas dedit A. 1296. quibus villam *Langensteinbach* ut venderet consensit. In illis mentio quoque fit Rudolfi & Hermanni filiorum, Friderici fratrum, qui annos discretionis nondum attigerant. (*m*) Neque Hermannus eos unquam attigisse videtur, quod nulla deinceps ejus memoria extat.

RUDOLPHUS II.

§. V.

Rudolphus II.

Septem annis modo patri superstes, Rudolphi fratris junioris respectu *senior* dicebatur; vivo patre nuncupatus *junior*. „ Rudolphus Marchio de Baden *junior* nobili femine Adelheydi, sue uxori legitime, dedit & donavit mille marcas argenti in

(*k*) SCHANNAT *Vindem. Lit.* pag. 168.

(*l*) RITTERHUSIUS *Genealog.* Tab. 127. GAMANSIUS pag. 200. aliique. Sunt, qui eam Geutsam, ex Anhaltinis ortam, male appellant.

(*m*) Codex Diplomaticus Badensis.

Digitized by Google

Rud. II.

„ in dotem five donacionem propter nuptias. „ Ita Rudolphus I. Imperator in Charta A. 12[illegible]7. Heilbronnæ data, qua pro 1000 marcarum dote caftrum *Mülenberg*, feudum Imperiale, Adelheidi huic, ex forore nepti, oppignerari permifit. (*n*)

A. 1289. tertio Kalendas Maji Rudolphus *Dei gratia Marchio fenior de Baden* Abbatiam Schwarzacenfem protectionis fuæ fpecialis & falvi conductus diplomate per omnem Marchionatum liberaliter munivit. (*o*)

(*n*) Male itaque in Chron. Alberti Argent. pag. 111. Albertus Rex Romanorum Adelheidem hanc Rudolpho March. de Baden uxorem dediffe legitur, quum Alberti pater Rudolphus I. Imperator hoc jam matrimonium viderit. Autographum Bongarfianum iftius Chronici, quod in Bibliotheca Bernenfi fervatur, errorem hunc egregie corrigit hoc modo: „ Relictam Comitis de Strasberg, fororem Ottonis de Ochfen-
„ ftein, confobrinam Regis (Alberti), ipfe Rex (Rudolphus) Mar-
„ chioni de Baden - - - - copulavit.

Notus huc usque nomine Alberti Argentinenfis fcriptor, emendatior & auctior fub veri auctoris *Matthiæ Neoburgenfis* nomine, inter Scriptores Rerum Alfaticarum, quos ad prelum paratos propediem editurus fum, comparebit.

(*o*) Verba Chartæ Monafterio Schwarzac. A. 1289. datæ, hæc funt: „ Cum
„ anteceffores noftri felicis recordationis magna & fpeciali dilectione
„ ecclefiam beati Petri in Schwarzach femper fuerint complexi nos
„ ipforum veftigia in hoc imitari volentes - - - ecclefiam beati Petri

RUD. II.

Abbatiæ Gottſavienſi ſex modios ſiliginis, ex decima villæ *Burten* quotannis percipiendos, eodem anno legavit.

A. 1291. menſ. Aug. Rudolphus *ſenior* & Fridericus, Marchiones Badenſes, cum Abbatiæ Monachorum in Alba Advocati fuiſſent electi, de priſtinis ei caverunt juribus novaque privilegia addiderunt. (*p*) Advocatia hæc eis propterea collata fuit, quoniam ex Eberſteinii Comitibus, monaſterii fundatoribus, ſanguinem per matrem aviamque Cunigundam ducebant. (*q*) Eidem Abbatiæ de reditibus ſuis in *Malſche* XV. malteras ſiliginis anno ſequenti Rudolphus donavit. (*r*) Qui cum patre ſepultus eſt in Sacello Lucidæ Vallis A. 1295. (*s*)

§. VI.

Uxor. Adelheidem, absque ſobole ex ſe ſuſcepta, viduam reliquit, quæ Lucidæ Valli quoque XXX. malteras ſiliginis dedit in

„ in Schwarzach antedictam & nuntios ejusdem per totam terram no-
„ ſtram ſub noſtra recipimus protectione & conductu, volentes ipſos
„ ſub alis noſtræ protectionis & defenſionis exiſtere ſecuros, ipſisque
„ omnia jura ſua capitalia, quæ vulgariter dicuntur *Fælle*, & cenſus
„ ſuos ab omnibus hominibus *terræ noſtræ incolis* dari & perſolvi
„ præcipimus.

(*p*) Codex Diplomaticus Badenſis.

(*q*) Vid. cap. I. §. 10. pag. 10.

(*r*) Cod. Dipl. Bad.

(*s*) Epitaphium in Parthenio Lucidæ Vallis his legitur verbis: Anno Domini MCCXCV. obiit *Marggrave Rudolph der alte an Sant Valentinstag*.

Digitized by Google

Curia Willre (*t*). Hæc ex priore cum Comite Strasbergæ matrimonio duas filias habuit, quarum unam Rudolphus III. Marchio Badenſis, ut infra videbimus, alteram Waltherus de Horburg uxorem duxit. HESSO.

Cognationem Adelheidis cum Rudolpho I. & Alberto I. Imperatoribus ſchema ſequens oſtendit:

Albertus Sapiens, Comes Habsburg.

Rudolphus I. Imperator, † 1291.	Cunigunda, uxor Ottonis Domini in Ochſenſtein.
Albertus I. Imperator, † 1308.	Adelheidis, uxor 1) Comitis de Strasberg. 2) Rudolphi II. March. Bad. 1287.

HESSO.

§. VII.

Heſſo, tertius Rudolphi I. Marchionis filius, cum Rudolpho I. Romanorum Rege Germershemii, vivo patre, verſatus, privilegium civitatis Wormatienſis poſt ducem Auſtriæ, ante Henricum Hachbergenſem Marchionem & Conradum Ducem HESSO.

(*t*) GAMANSIUS.

HESSO.

Teccensem A. 1284. testis signavit, *Hesso Marchio de Baden.* (u)

Idem triennio post in ejusdem Cæsaris diplomate, Heilbronnæ scripto, reperimus, quo Hessonis frater, Rudolphus II. castrum Mülenberg uxori suæ in dotem adscribendi potestatem accepit, uti supra ostensum.

§. VIII.

Gesta cum Comite Wirtenb.

Eberhardus Illustris, Wirtenbergæ Comes, qui sub quinque Imperatoribus sæpe inquies vixerat, Henricum VII. Imperatorem cum agnoscere recusasset, a Conrado Weinspergensi Comite, Cæsaris per Sueviam Vicario, ejectus est terris; & ab Hessone nostro receptus, Besighemii, ad mortem usque vixit Henrici; a successore ejus, Ludovico Bavaro, suis terris restitutus. (x)

Eberhardus, beneficii memor, Hessonis, dein mortui, debita solvenda suscepit, atque cum filio Hessonis Hermanno transegit, qui castrum Reichenberg cum bonis inde pendentibus, Eberhardo dedit in pignus ; ita quidem ut intra decennium libera filiis reluitio esset; sed pecunia propria, non accepta in mutuum.

(u) MORITZ *vom Ursprung der Reichsstätte* in Append. pag. 179. & LUDEWIG *Reliquiæ MSS. Diplomatum* Tom. II. p. 240.

(x) ALBERTUS *Argent. Chron.* pag. 115. Edit. Urstis.

Digitized by Google

HESSO.

Præter Reichenbergam, Bachnanga quoque oppidum & Beilſtein tradita fuere Eberhardo. (*y*)

§. IX.

Mors.

Annus mortis ejus certo non conſtat. GAMANSIUS eum ad A. 1317. ponit, & quidem recte, ut videtur; cum poſt hunc annum nulla ejus vivi mentio recurrat.

In Ludovici enim Imperatoris diplomate A. 1322. de quo infra ſub Friderico II. vitium ſine dubio irrepſit; cum Heſſonem, Friderici II. Marchionis patruum A. 1322. inter vivos referat, Heſſo in literis filii ſui Rudolphi Heſſonis, datis *an Sanct Thomastag* 1319. & in aliis ejusdem Rudolphi Heſſonis *an der Mittewochen vor Sante Walpurgetag* 1321. jam refertur inter beatos vel mortuos; his verbis: *Wir Marcgrave Rudolf, Marcgrave Hezzen ſeligen Son von Baden.* Item: *Wir Rudolf von Gotz Gnaden ein Marcgrave von Baden, Marcgrave Heſſen ſelgen Son.* (*z*)

Imo cum Fridericus II. Marchio A. 1318. villam Malſch cum caſtro Waldenfels Monachis Albenſibus venderet, venditionis literæ datæ die Sabbati poſt feſtum Aſcenſionis Domini firma-

(*y*) SATTLER pag. 140. qui anno 1296. Heſſonem ad plures jam abiiſſe ſcribit pag. 135.

(*z*) Vide Codex Diplom. ad annum 1319. & 1321.

HESSO.

tæ fuerunt agnatorum tunc temporis ſuperſtitum ſigillis, Heinrici de Eberſtein avunculi ejus, Rudolphi Marchionis ſenioris de Baden patrui ejus, Rudolphi Marchionis fratris ejus & Rudolphi Heſſonis Marchionis de Baden. Nulla inter hos Heſſonis mentio, cujus tamen conſenſus non fuiſſet neglectus, niſi eo jam tempore inter vivos eſſe deſiiſſet.

Quin & in ipſo, quod citatum eſt, Ludovici Imperatoris diplomate, non Heſſo noſter, ſed filius ejus Rudolphus Heſſo intelligendus eſſe videtur. Poſtponitur enim Rudolpho III. non poſtponendus, ſi per Heſſonem frater natu major Rudolphi III. indigitaretur. Erratum ergo à Secretario Imperatoris in vocibus *patruis ſuis*, cum alter tantum patruus, alter patruelis Friderici II. Marchionis fuerit.

§. X.

Uxor.

Irmengardim, Eberhardi, Comitis Wirtenbergenſis ſororem, Heſſoni noſtro conjugem juniores quidam tribuunt ſcriptores; A. 1317. defunctam eſſe ſtatuentes. (a) At monumentum ſepulcrale, quod in monaſterio Baſileæ minoris, *Klingen* dicitur, ſupereſt, Claram cuſtodit, quam ex Klingæ Dynaſtis prognatam ei tribuo uxorem. Annus mortis in lapide ejus ſepulcrali deletus eſt. (b)

(a) RITTERSHUSIUS *Genealog.* Tab. 127. & reliqui.

(b) Legitur ibi: *Vrouua Clara Marggrævinne von Badin.* Waltheri Domini à

RUD. HESSO.

RUDOLPHUS II.

HESSONIS FILIUS.

AB A. 1317 — 1335.

§. XI.

Rudolphi Hessonis gesta.

Hessoni duo filii, Hermannus & Rudolphus Hesso, tribuuntur; quorum ille clericus, hic vixit secularis.

Henricus VII. Imperator oppidi Imperialis *Heydolfesheim* oppignerationem, Conrado Comiti de Vehingen pro octingentis libris & *Marchioni de Baden clerico* pro mille libris Hallensibus ab Advocato provinciali, Cunrado de Winsperg, factam, A. 1311. ratam habuit.

Friderici Marchionis Badensis Chartæ venditionis vici Malsch & castri Waldenfels A. 1318. sigillum appensum est *Rudolphi Hessonis Marchionis de Baden.* (*c*)

Iter sacrum ad sepulcrum Dominicum cum vovisset Rudolphus Hesso, Johannes XXII. Papa A. 1326. Episcopo Spi-

Klingen, qui A. 1295. decessit filia fuit. TONIOLA *Basilea Sepulta* p. 325. URSTIS. *Chron. Basil.* pag. 136. Filias Waltheri hujus referunt Tabulæ venditionis apud HERRG. *Genealog. Habspurg.* Tom. III. pag. 421.

(*c*) Codex Diplomaticus Badensis.

Digitized by Google

RUDOL. HESSO.

rensi potestatem concessit, ut Rudolphum ab hoc voto absolveret; si legitimam causam absolvendi repererit. (*d*)

Rudolpho Marchioni Badensi dicto Hessoni ter mille & centum libras Hallenses se debere professus est Ludovicus Imperator A. 1333. quae ex reditibus Hagenoënsis foresti & civitatum Alsatiae Imperialium tributis ei erant solvendae. (*e*)

§. XII.

Lites cum Friburg.

Eodem anno inter Marchionem Rudolphum, qui dictus Hesso, Dominum de Baden, & uxorem ejus, Johannam, Reginaldi Comitis de Montebeliardo filiam, ex una, ac inter civitatem Friburgi ex altera parte, propter cives quosdam Friburgi bonis suis spoliatos, lis intercessit; decisa per arbitros; quos inter ex parte Badensium erant Johannes de Eptingen, dictus Spengelin, & Hartmannus de Masonis Monasterio, milites. Hujus rei superarbitrium penes tres civitatis Argentinensis Magistros, Swarberum, Twingerum & Judenbreterum erat. (*f*) Dominus *de Baden* in Chartis his dicitur Rudolphus Hesso; unde Badam, Marchionatus caput, eum tenuisse colligimus; id quod & alia monumenta nos docent.

A. 1305.

(*d*) Idem.

(*e*) Idem.

(*f*) Cod. Membr. Argent. de anno 1370.,

Digitized by Google

RUDOL. HESSO.

A. 1335. Hannemannus de Heidweiler, Præfecturam Traubaci in Sundgovia ipsi & conjugi Johannæ Montisbeliardensi resignavit. (*h*)

§. XIII.

Mors.

Obiit illustris Rudolphus Hesso, Marchio de Baden, in octava b. Laurentii martyris A. 1335. ut lapis sepulcralis Lucidæ Vallis declarat. (*i*)

Uxor & liberi.

Johanna uxor primitus nupta fuerat Ulrico, Comitum Phirretensium postremo, qui A. 1324. vita excessit. (*k*)

Ad filias, quas ex illo susceperat, Johannam & Ursulam, Comitatus Phirretensis transiit, & per Johannam, natu majorem, ad Albertum Sapientem, maritum ejus, Austriæ Ducem (*l*). Ex secundo cum Rudolpho Hessone Johannæ connubio, quod horum conjugum literæ A. 1333. probant, (*m*) duæ filiæ prodierunt, *Margaretha* & *Adelheidis*, Marchionibus Badensibus, agnatis suis, ut infra videbimus, matrimonio jungendæ, quas ex Ul-

(*h*) Tabular. Oenipont.

(*i*) Apud SCHANNAT. *Vindem. Lit.* Coll. I. p. 165. mors hæc ad mensem Febr. anno 1333. vitiose ponitur.

(*k*) ALSAT. ILLUSTR. Tom. II. pag. 610.

(*l*) Ibidem pag. 503.

(*m*) STEYERER *Hist. Alberti II.* Austr. pag. 236.

Digitized by Google

RUD. III.

rico Phirretenſi natas GUILLIMANNUS, (n) atque HERGOTTUS (o) male exiſtimarunt.

In hereditatis maternæ diviſione, A. 1347. inſtituta Altkirchæ, viva matre Johanna, quæ tertias cum Cattimelibocenſi Comite GUILIELMO iniverat nuptias, Margaretha Dynaſtiam Hericurtenſem, Adelheidis Belfortenſis partem ſorte obtinuit. (p)

RUDOLPHUS III.

§. XIV.

Rudolphus III. dictus Senior.

Rudolphi I. filiorum natu minimus fuit Rudolphus III. qui patre & fratre ſeniore Rudolpho II. mortuis, ut a juniore Rudolpho, fratris ejus Hermanni VII. filio, & Rudolpho Heſſone diſtingueretur, *ſenior* quoque appellatus eſt. Venditionem hic vici *Langenſteinbach*, a fratruele Friderico monachis de Alba factam A. 1296. roboravit. (q)

A. 1306. Rudolphus ſenior cenſum vici *Malſch* monaſterio Albæ Dominorum conferens, patrem ſuum Rudolphum, fratrem Rudolphum, uxorem Gutam, fratriam Adelheidem de Ochſenſtein, ut & Fridericum ac Rudolphum juniorem, Mar-

(n) STEYERER loc. cit. 202.

(o) *Genealog. Habſb.* Tom. I. pag. 60. & 219.

(p) Alſatia Illuſtr. Tom. II. pag. 610. not. (q).

(q) Chart. in Cod. Diplom.

Digitized by Google

RUD. III.

chiones Badenſes, ſuos ex fratre Hermanno nepotes, commemorat. (*r*)

A. 1327. reſponſorias literas, Avenione datas, mittit Johannes XXII. Pontifex Maximus, *Rudolpho Marchioni de Baden ſeniori*, qui Papæ Fridericum de Zolre, ad Papæ & Eccleſiæ obſequia obtulerat. Vocatur hic Fridericus in iisdem litteris *nobilis vir nepos Marchionis.* (*s*)

§. XV.

Res geſtæ.

Stollhovam oppidum cum vicis *Selingen* & *Hugelsheim* A. 1300. ab Eberlino de Windeck, mille trecentis & quinquaginta marcis argenti valoris Argentinenſis coëmit. (*t*) Prædes ſolutionis magno numero dati.

Partem vici Graben à Dieterico de Ubſtatt libris Hallenſium ſeptingentis A. 1310. Rudolphus comparavit. Quadriennio ante, Dieterici frater, Suuikerus, Marchioni promiſerat, ſe ſuam iſtius vici partem nec oppigneraturum nec venditurum, niſi prius illam Marchioni ejusve heredibus obtulerit.

(*r*) Codex Diplomaticus Badenſis.

(*s*) Idem Codex.

(*t*) Chartam emptionis memorabilem Codex Diplom. ad annum 1309. exhibet.

Digitized by Google

A. 1327. donat Rudolphus Marchio de Baden partem vici Möglingen in Præfectura Grœningen Ulrico Comiti Würtenbergensi. (*u*)

§. XVI.

Bella cum Argentin.

Cum Argentinensi civitate alternis vicibus per aliquot annos bellum pacemque inivit.

Libertas navigandi per Rhenum, immunitas a vectigalibus, per Marchiam omnem, frequens bellorum, deprædationum, querelarumque materia fuit.

Primum.

Bello primo Johannes Argentinensium Episcopus, Ulricus Landgravius, Josridus Leiningæ Comes, Otto Dominus de Ochsenstein aliique Argentinensium secuti sunt partes.

Cum his omnibus in gratiam rediit Rudolphus senior (*x*) festo Sancti Jacobi A. 1313. Universis civibus ac subditis eorum plenam a vectigalibus suis & a naufragorum bonorum occupatione immunitatem, quamdiu ipse viveret, concessit, partesque Friderici Marchionis, ex fratre nepotis, bellum continuantis, deseruit. (*y*)

(*u*) SATTLER. l. c. P. I. p. 199.

(*x*) *Marggrafe Rudolf der elter von Baden.*

(*y*) Cod. Dipl. Argent. Membr. de anno 1370. p. 150.

Digitized by Google

§. XVII.

Secundum.

Sed pacem hanc, parum fidam, novæ mox inimicitiæ secutæ sunt. Damna illata, mille marcis argenti æstimavit Rudolphus. Judicium rei delatum ad arbitros.

Bruno de Windecke, & Heinricus de Selbach, milites, ex parte Marchionis, Nicolaus de Kageneck, & Reinboldus Hüffelius, milites, ex parte civitatis constituti sunt. Superarbiter additus est Præsul Argentinensis. Ita conventum Lichtenaviæ die Lunæ ante Sancti Bonifacii A. 1315, Johanne, Dynasta Lichtenbergensi præsente. (z)

Germania tum omnis novi Cæsaris electione fuit scissa in partes. Marchiones Badenses Fridericum Austriacum secuti sunt; qui pacem inter partes reducere laboravit.

Hujus denique & Johannis Episcopi Argentinensis opera mense Martii A. 1317. pax coaluit inter Rudolphum & Fridericum Marchiones, mercatoresque & nautas Alsatiæ. Conventum Offenburgi, ut suspensis Marchionum in terra Rhenoque vectigalibus, pro salvo conductu nonnihil æris penderent mercatores. (a)

(z) Ibid. pag. 152. ubi Rudolphus dicitur: *Rudolf von Gottes Gnaden der elter, Herre und Marggrafe zu Baden.*

(a) Instrum. in WENCKERI *Apparatu. Archiv.* p. 197.

§. XVIII.

Tertium. Verum anno ſequenti recruduit bellum. Civium Argentinenſium prædia in Willſtetten & alibi vaſtavit Rudolphus. Argentinenſes ex hoſtibus nonnullos Stauffenbergæ ceperunt. Damnis utrimque compenſatis, ſalvisque ſingulorum juribus, perpetuæ tandem pacis formula ſignata eſt, die Veneris ante Sancti Urbani A. 1318. (b)

Quadriennio poſt, menſe Auguſto, Rudolphus & Fridericus Marchiones (c) novam de ratione ſalvi conductus & vectigalium per terram ſuam & aquas præſtandorum pactionem ad proximum usque feſtum Sancti Georgii valituram, cum Argentinenſibus inierunt. (d)

§. XIX.

Quartum. Stauffenbergæ caſtrum, quod modo memoravimus, Ganerbiale fuit, pluribusque adeo militibus commune. Hos inter Reinboldus miles de Stauffenberg, Albertum de Owe, militem, Epiſcopi Argentinenſis miniſterialem, caſtro illo excludere voluerat.

(b) Cod. Diplom. Argent. Tabularii de anno 1370. p. 152.

(c) *Marggrafe Rudolf der elter und Marggrave Friderich, ſins Bruder ſun, Herren von Baden.*

(d) Cod. Dipl. Argent. fol. 150.

Digitized by Google

Rud. III.

Novum inde bellum A. 1329. surrexit, funestum Badensibus. Bertoldus Episcopus enim & civitas Argentinensis junctis viribus, castrum illud, obsidione captum, solo æquarunt. Vim Reinboldo illatam Rudolphus IV. Marchio, dictus Pforzheimensis, & Comes Wirtembergensis vindicaturi, ductis per Rudolphi nostri senioris terras militibus, ditiones invadunt Episcopi, eo magis commoti, quod Rudolphum seniorem, propter affinitatis vinculum, a libero transitu hostes suos prohibiturum speraverat. Rudolphus Episcopo, id exprobranti, terrarum ejus se non esse custodem, respondit. Episcopus Marchionatum Badensem cum sociis suis ingressus, aperta ubivis loca misere fœdavit incendiis, a qua calamitate Stollhovium tantum & Badam oppida mœnibus cincta, perstiterunt immunia. Flammam hanc extinxit Otto, Dux Austriæ, qui Bischoffshemii ad Rhenum, data Reinboldo pecunia, ut Stauffenbergam reædificaret, omnia ad pacem reduxit. (e)

§. XX.

Lud. Bav. adhæret.

Postquam Friderici Austriaci æmulus in Imperio prævaluisset, Ludovicus Bavariæ Dux, ab hujus quoque partibus Ru-

(e) Testis hujus belli est ALBERTUS ARGENT. in *vita Bertoldi* Episc. Argent. apud URSTIS. *Rer. Germ.* Part. II. pag. 170. Badam mœnibus cinctam esse A. 1330. refert KOENIGSHOVEN *Chron. Alsat.* pag. 387. ubi & belli hujus mentio fit.

Digitized by Google

dolphus noster, viriliter stetit. Septingentas marcas argenti ei promisit Cæsar, Selsam (*f*) & Hagenbacum, civitates Imperii, literis A. 1330. Hanoviæ datis, in pignus concedens.

§. XXI.

Uxor.

Rudolphi hujus senioris uxor fuit Gutta, sive Gertrudis; ex primo Adelheidis de Ochsenstein cum Strasbergio Comite matrimonio, ut supra (*g*) jam diximus, nata, adeoque Rudolphus noster Adelheidis & affinis fuit & gener.

Adelheidis pro se & marito suo posteriore, Rudolpho II. Marchione, pridem defuncto, anniversarium in claustro Lucidæ Vallis A. 1311. instituens, consensu Rudolphi Marchionis senioris de Baden, *filiastri* sui, id se fecisse, & Rudolphus ad petitionem Adelheidis, *socrus* suæ, fundationis hujus Chartæ sigillum suum appendisse, memorant.

Gertrudis frater erat Bertoldus Comes de Strasberg, qui cum A. 1316. decessisset improles, (*h*) tertiam hereditatis ejus partem sibi vindicavit Gertrudis. Hereditatem hanc, in qua castrum *Strasberg* & oppidum Helvetiæ *Buren* erant, Rudolphus & Ger-

(*f*) Hoc oppidum jam A. 1268. Rudolphus oppidum suum nominavit. Als. Ill. Tom. II.

(*g*) Cap. II. pag. 19.

(*h*) Sepultus in Ecclesia Lucidæ Vallis cum inscriptione: *A. Dom. MCCCXVI. in vigilia S. Ioh. Bapt. O. Bertholdus Comes de Strasberg.* GAMANS. p. 270.

Digitized by Google

& Gertrudis conjuges A. 1319. Ecclesiæ Basiliensi & Ulrico, Phirretensi Comiti, pro ducentis marcis argenti vendiderunt. (*i*)

§. XXII.

Obitus.

Obiit denique Rudolphus III. improlis IV. Non. Februarii A. 1332. postquam monasterio Lucidæ Vallis, in quo sepultus est, (*k*) centum marcas legasset. (*l*) Præcesserat eum Gertrudis uxor VI. Kalendas Aprilis A. 1327. ut ex epitaphio ejus in eodem monasterio constat. (*m*)

FRIDERICUS II.

§. XXIII.

Fridericus II

Mortuo patre Hermanno, cum patruò suo Rudolpho II. monasterii Dominorum in Alba advocatiam, ut supra (*n*) retulimus, A. 1291. in se suscepit, eidemque villam *Langensteinbach* pro DL. libris Hallensibus A. 1296. vendidit, Marchio de Baden simpliciter dictus.

A. 1304. ipse cum fratre suo Rudolpho IV. ab Alberto de *Remichingen*, quidquid ille juris in castro sui nominis habuerat,

(*i*) Charta venditionis ap. HERRGOTT. *Geneal. Habsb.* Cod. Dipl. num. 725.

(*k*) SCHANNAT. *Vindem. Lit.* Collect. 1. p. 165. male habet A. 1331.

(*l*) Ita Epitaphium ibi loquitur: Anno Dni MCCCXXXII. O. Rudolph Senior Marchio de Baden in die purificationis Btæ Vgis Mariæ.

(*m*) Ao. Domini MCCCXXVII. ob. Gutha, Marchionissa VI. Cal. Aprilis.

(*n*) §. 5.

Digitized by Google

FRID. II.

nonaginta libris Hallensibus emit. Alteram partem A. 1310. a Dieterico & Ludovico fratribus de Remchingen eodem pretio comparavit. Decimas in villa Remchingen, monasterio Maulbrunnensi olim dono traditas, Fridericus injuste se usurpasse, poenitentia ductus, A. 1324. pridie festi Pasch. ipse confessus est. (*o*)

A. 1308. Fridericus & Rudolphus germani Marchiones de Baden jus patronatus ecclesiæ in Mensheim Mahtolfo militi de Mensheim ejusque heredibus in feudum contulerunt.

§. XXIV.

Acta ab A. 1312.

A. 1312. desiderio Engelhardi a Weinspurg satisfacturus testis signat confirmationem privilegiorum monasterii Lichtenstern ejusque donationis, fitque simul cum Engelhardo ejusdem monasterii atque Abbatissæ illius advocatus & defensor. (*p*)

Partem castri *Oberwesingen* & bonorum ejus a Reinhardo milite, dicto de *Nuwenburg*, A. 1314. acquisivit.

Sunshemium, Imperii oppidum, cum monasterio vicino, mille marcis ab Imperatore deinceps redimendum, pro officiis præstitis, Fridericus Austriacus Rex Romanorum Selsæ A. 1315. Friderico Marchioni & Rudolpho oppigneravit.

(*o*) Charta ap. GAMANS. pag. 210. Authentica in Tabular. B. Durlac.

(*p*) BESOLD. *monast. virg.* Tit. Lichtenstern n. VII. p. 74. & PETRI *Suev. eccles.* pag. 516. seq.

Digitized by Google

Bella inter Marchiones & civitatem Argentinensem de navigatione Rheni & commerciorum libertate exorta, in rebus Rudolphi III. patrui ejus exposui. (q)

§. XXV.

Fridericus noster præter vicum Langensteinbach, supra memoratum, totum quoque vicum *Malsch* & castrum *Waldenfels*, iisdem Monachis pro trecentis & mille libris Hallensibus A. 1318. sub pacto de retrovendendo (r) vendidit; accedente Heinrici de Eberstein, Rudolphi senioris patrui, Rudolphi fratris & Rudolphi Hessonis, Marchionum Badensium, consensu. (s) Acta ab A. 1318.

Priusquam hoc fieret, Abbatiæ Weisenburgensi, cujus Dominio directo vicus Malsch obnoxius erat, oblato ei vicissim in feudum oppido Cuppenheim, Fridericus satisfecit. (t)

Tom. II. E 2

(q) Vide supra §. 16. sqq.

(r) Literas reversales Abbatis & Conventus Albensis de retrovendendi jure in villam Malsch Marchioni servato A. 1318. vid. in Deductione Badensi contra Würtemberg sub rubro: *In der Wahrheit gegründete Vorstellung.* num. 1. pag. 52.

(s) Vide MEICHSNER. *Decis. Cameral.* Tom. IV. Decis. 35. ubi Charta hæc nonnihil mutila extat. Authentica Charta servatur in Tabulario Bada-Durlacensi.

(t) Charta apud MEICHSNER. l. c.

Digitized by Google

FRID. II.

A. 1321. Fridericus & Rudolphus fratres Marchiones de Baden partem castri & oppidi Enzeberg, (u) quæ jam decennio ante oppignerata ipsis fuerat, a Gerhardo milite de Enzeberg ejusque filiis Gerhardo, Alberto, Conrado & Geroldo, pro 460. libris Hallensibus coëmerunt.

§. XXVI.

Castrum Ochsenberg.

Eodem anno Castrum Ohzsenberg cum villis *Lenbrunne Michelbach*, *Zabernvelt*, *Ober-Ramspach* & *Damp*, ut & curiam in *Flehingen*, pro bis mille & ducentis libris Hallensibus à Zeisolfo de Magenheim emit. Rudolphus frater & Conradus, Urselingæ Dux, emtionis literas suis sigillis firmarunt. (x)

Quinquennio post idem Marchio cum filio Hermanno perpetuum jus aperturæ in castro hoc *Ochsenberg* contra quemvis, præter Marchiones Badenses reliquos, Rudolphum nempe patruum, Rudolphum fratrem & Rudolphum Hessonem patruelem, civitati Spirensi concessit. (y) Memorati Marchiones biennio post idem castrum Alberto de Gemmingen, Armigero, dicto de Enzeberg, oppignerantes, idem quoque jus servarunt Spirensibus, (z) solenni juramento præstito, absque Spirensium con-

(u) Ad Enzam amnem, inter Pforzhemium & Vaihingen.

(x) Dat. die Lunæ post S. Galli A. 1321. Tabular. Bada-Durlac.

(y) LEHMANN. *Chron. Spir.* pag. 676.

(z) LÜNIG *Archiv. Imp.* Part. Spec. Contin. IV. Tom. II. pag. 483.

Digitized by Google

ıenſu arcem nulli ſe deinceps eſſe venditures vel oppigneratu-ros. (*a*)

§. XXVII.

Ad Lud. Bav. tranſii.

Vix victus fuerat & captus Fridericus Auſtriacus Anticæ-ſar, quum Ludovicus Bavarus Marchionem Fridericum, Auſtria-co deditum, ad ſuas partes pertraxit, largiens ei jure feudali, ut
„ tredecim denarios Argentinenſis monete de quolibet plau-
„ ſtro vini, cum quatuor denariis de navi, in qua plauſtra hu-
„ jusmodi in Reni alveo veherentur per loca diſtrictus terre ſue „
acciperet; ea lege, ut *juxta nobilitatem* & *magnitudinem* ſuam ad ſingulas partes Rheni, Sueviæ, Franconiæ & Bavariæ, contra quemvis, Rudolpho fratre & Rudolpho ac Heſſone patruis tantum exceptis, pugnaret pro Cæſare; qui feudi hujus confirmationem a Principibus Imperii ſe impetraturum recepit. Acta ſunt hæc Monaci XIV. Kal. Jan. A. 1322.

(*a*) Caſtrum hoc Ochſenberg cum adjacentibus locis paulo poſt in Wirtembergenſium Comitum manus pervenit. A. 1391. Albertus de Enzberg Senior dimidiam Ochſenbergæ, quam poſſederat, partem Wirtenbergico Comiti tradidit, qui eam Wolfio de Urbach dedit in feudum. A Wolfio Ochſenberga ad Sternfelſiorum familiam tranſivit. Eberhardas Comes Wirtemb. A. 1392. Henelio de Sternfels oppidum & Caſtrum Ochſenberg villasque Zabernfeld, Michelbach, Ramsbach & Lehenbrunn in feudum dedit Gœppingæ. Sternfelſii denique anno ſeculi hujus XLIX. Wirtembergenſia hæc feuda domino directo refutarunt. Conf. *Reichsſtændiſche Archival-Urkunden in* cauſa Equeſtri Sect. 1. Cap. I. n. 12. p. 12. ſqq.

Digitized by Google

FRID. II.

§. XXVIII.

Fœdus cum civitatibus.

Moguntia, Argentina, Wormatia, Spira & Oppenhemium civitates, pacis publicæ ad Rhenum tuendæ causa, fœdus ad aliquod tempus cum inivissent, Fridericus Marchio eidem fœderi contra quemvis seditiosum, agnatis iterum exceptis, A. 1325. accessit. (b)

A. 1326. idem Marchio vicum Münzesheim, Ebersteinensis Comitatus feudum hoc anno sibi apertum, (c) Alberto Hoffwart, militi, contulit. (d) Hujus posteri Münzeshemium tenuerunt usque ad A. 1675. quo ad Fridericum VI. rediit Marchionem.

A. 1330. Fridericus & Hermannus Marchiones Chartam venditionis castri Beringersweiler testes signarunt. (e)

§. XXIX.

Obitus ejus & Uxor

Obiit Fridericus X. Kal. Jul. 1333. ut sepulcralis indicat lapis. (f) Uxorem ejus Adelheidem Comitem de Beuchlingen,

---

(b) Cod. Diplom. Argent. de A. 1370. pag. 152. ubi Charta incipit: *Wir Marggvave Friderich, Herre von Baden.*

(c) De eo Illustr. PREUSCHENIUS in *Carlsruher nüzlichen Sammlungen* P. I. pag. 348.

(d) Charta extat in Archivo Bada-Durlac.

(e) HANSELMANN. *Landeshoheit des Hauses Hohenlohe vor dem Interregno.* Fol. inter Diplom. pag. 440.

(f) Apud SCHANNAT. loc. cit. male XI. Kal. Jul. 1332.

Digitized by Google

HERM. IX.

appellant; quæ vidua cum tribus filiabus, Agnete, Irmengarde & Maria, in Lucidæ Vallis claustrum secesserit, eique per XII. annos Abbatissa præfuerit. Defunctæ XV. Kal. Sept. 1348. successit Agnes filia, ad A. 1361. usque superstes. (g) Friderico filium successisse Hermannum, omni dubio caret.

HERMANNUS IX.

DOMINUS DE EBERSTEIN.

§. XXX.

Hermannus IX.

Venditio vici Malsch & castri Waldenfels, per patrem A. 1318. facta, firmior ut esset, Hermannus quadriennio post, major annis factus, eandem literis suis firmavit.

Acta Weinspergensia.

A. 1329. Engelhardi de Winsperg senioris, sine prole legitima utriusque sexus demortui, institutus est heres (h) Fridericus pater & Rudolphus patruus testes suis hoc corroborarunt sigillis. Ab hereditate autem hac dimidiam partem bonorum ac hominum in *Eberstat*, *Gelmersspach* & *Stein*, vici at-

(g) Jo. GAMANS. pag. 211. sq.

Hinc Adelheidis adit decimum prælustris honorem
E Beuchling Comitum fœmina stirpe sata.
Ante Badensis erat Friderici Principis uxor,
Annos bis senos rexit, & astra subit.
Agnes officium viduæ post funera matris
Suscipit haud tali filia matre minor.
Provida, larga fuit, mitis, placida atque benigna,
Post annos tredecim scandit ad astra Poli.

(h) Codex Diplomat. Badensis.

Digitized by Google

HERM. IX.

que castri, secernendam, eamque relinquendam esse Engelhardo & Cunrado de Winsperg fratribus, contra Hermannum Marchionem & Engelhardum seniorem de Winsperg ipse Hermanni pater Fridericus & Engelhardus de Ebertsperg A. 1331. suis literis declararunt.

A. 1333. Hermannus oppidulum Klein-Gartach cum vicino castro Lünenberg seu Leimberg Alberto Bruzzen vendidit. (i)

§. XXXI.

Acta cum Lud. Bav. Imp.

Eundem Hermannum, parentis extincti loco, Ludovicus Imperator sibi obstricturus, mense Octobri A. 1333. illi Stutgardiæ concessit, ut de omni plaustro vini transvecto per Rhenum ad Merseldam, ultra solitum vectigal, posceret Schillingum Hallensem; donec bis mille & centum librarum Hallensium perceperit summam. Privilegium hoc Carolus IV. Imperator A. 1350. renovavit.

Proscriptio Cæsaris.

Abbatiæ Monachorum ad Albam querelæ de Hermanno frequentes Cæsarem moverunt, ut, quem amicum paulo ante habuerat, Imperii hostem pronuntiaret; eique compescendo Ulricum Wirtenbergiæ Comitem A. 1338. & sequenti liberas quasdam Sueviæ civitates ad bellum proficisci juberet. (k)

In angustiis his Hermannus æs alienum contraxit. (l)

Octo

(i) SATTLER. loc. cit. P. I. pag. 181.

(k) Mandata Cæsarea edidit BESOLDUS in *Documentis redivivis Monast. Wirtenberg.* p. 153. & 157.

(l) Extant literæ ejus ad Elisabetham de Rotenstein scriptæ A. 1340. ut Chartas quasdam Rudolpho March. redimendas traderet, in GUDENI *Cod. Diplomat. Mogunt.* Tom. III. p. 312.

Digitized by Google

HERM. IX.

Octo per annos protractum est bellum, firmissimae mentis in hoc Principe documentum haud leve. A. 1346. denique, mense Febr. Hermannus armis & judicio publico Heidelbergae coactus, advocatiam Albensem dimisit e manibus.

Judicio & actui huic solenni Ruperti duo, senior & junior, Comites Palatini, Gerlacus Nassoviae, Eberhardus Werdenbergae Comites interfuerunt. (*m*)

Paucis post diebus Ludovicus Imperator Hermannum plenariam in gratiam se recepisse, alio diplomate Francofurti testatus est. (*n*)

A. 1339. Nicolaus & Wolfgangus Roederi fratres, Elisabetha & Wilburgis, eorum sorores, partem suam castri Hohenrod Hermanno Marchioni Badensi, Domino in Eberstein, pro 25. libris denariorum Argentin. vendiderunt. Bis mille & viginti quinque libras Hallens. ab Engelhardo de Winsperg, oppignerata ei sua Dominii Winspergensis portione, A. 1341. accepit.

A. 1346. consentientibus agnatis oppidum & castrum Laufen Alberto Hoffwart juniori, qui in dicto oppido sedit, pro 3000. libris Hallens. (*o*) & Maulbronnensi monasterio dimidiam partem vici Unteroewisheim cum jure patronatus vendidit. (*p*)

(*m*) Ludovici Caesaris & Hermanni Marchionis hac de re literae extant apud BESOLD. loc. cit. pag. 160. & 162. & in PETRI *Suev. Eccl.* pag. 25. sq.

(*n*) GAMANS. *Annal. Badens.* p. 238.

(*o*) SATTLER. loc. cit. P. II. p. 67.

(*p*) SATTLER. l. c. p. 189. Vicus Niederöwisheim Episcopatus Basiliensis

HERM. IX.

§. XXXII.

Acta sub Carolo Imp.

Carolus IV. dein rerum ſumma potitus, in Hermannum noſtrum non tantum eandem, de qua diſceptatum fuerat, Advocatiam, ſed & caſtrum atque oppidum *Weinsberg* A. 1350. ex nova gratia Norimbergæ contulit, ſimulque pacta ſucceſſoria, cum agnatis inita, æque ac privilegia domus Badenſis confirmavit. (q) Friderici III. patruelis ſui, literas A. 1349. hac formula: *Marchio Hermannus*, *Dominus de Eberſtein*, ſignavit.

A. 1351. Hermanno Marchioni, pacem publicam violanti, bellum a fœderatis illatum, quo victus pacem petens, Spirenſibus damna reſarcire coactus eſt A. 1353. (r)

§. XXXIII.

Mors.

Parthenio Lucidæ Vallis, ubi jacet ſepultus, ſeptingentas libras Hallenſes Hermannus IX. deſtinavit. Idibus Aprilis A. 1353. defunctus eſt vita. (s)

Uxor & filii.

Filii ejus, Fridericus & Rudolphus, ex Mechtilde Comitiſſa Vayhingæ ſuſcepti, præmaturo ante patrem extincti ſunt fato. (t)

Redeundum jam ad Hermanni IX. patruum, Rudolphum IV, a quo reliqua Marchionum Badenſium ſeries deſcendit.

fuerat feudalis. In ejus locum vicum *Oſe* Hermannus ſubſtituit, & a Johanne Epiſcopo Baſilienſi primus in feudum recepit.

(q) GAMANSIUS.

(r) LEHMANN. L. VII. c. 47. p. 710.

(s) Necrolog. Lucidæ Vall. ap. SCHANNAT, *Vindem. Lit.* Collect. I. p. 166.

(t) GAMANS. loc. cit. pag. 239.

CAPUT III.

RUDOLPHUS IV.

Dominus de Pforzheim.

A. 1300 — 1348.



§. I.

In divisione terrarum, cum Friderico II. fratre suscepta, Principatus sui sedem Rudolphus IV. accepit Pforzhemium; Pforzheimensis hinc dictus. Rud. IV.

A. 1300. quo sui juris est factus, venditionem vici Langensteinbach, de qua superius actum, suis literis probavit, in quibus *Rudolphus Dei gratia junior Marchio de Baden* nuncupatur.

Ecclesiasticæ vitæ eum ab initio destinatum & Canonicum Spirensem factum fuisse, ex sigillo cognoscimus, quod adjectum est literis, quibus cum fratre suo lites inter Abbatiam monachorum in Alba & rusticos suos in Malsche compositas refert A. 1307.

Digitized by Google

ubi legitur: *Rudolphus Marchio de Baden*, *Canonicus Ecclesiæ Spirensis.*

§. II.

Res gestæ ab A. 1322.

Præter ea, quae superius in Friderici II. fratris ejus vita memoravimus, obfervamus porro, quod Rudolphus A. 1322. dimidiam partem loci Bürckenfeld, ad præfecturam Neuenbürgensem pertinentis, pro centum libris Hallerorum oppigneraverit Würtenbergico Comiti, intra biennium redimendam, ita tamen, ut, si non fiat reluitio intra hoc tempus, jus redimendi amissum sit. Arbitri de pretio, quod hoc casu addendum, statuant. (*a*)

A. 1323. Leopoldo Austriæ Duci, Spirensem civitatem obsidenti, auxilium tulit Rudolphus. At eodem anno pax inita & de damno, Spirensibus dato, electis ab utraque parte arbitris, transactum. (*b*). Idem Marchio cum uxore sua Lutgarda suburbii Pforzheimensis Hospitale Sancti Spiritus, nuper ab eo restitutum, A. 1323. donis ornavit. (*c*)

Eodem anno Conradus Abbas & Conventus Monasterii in Sunnensheim Ordinis Sancti Benedicti Rudolpho nostro jus patronatus parochialis Ecclesiæ in Nyffern, ob præstitam defensionem, consensu Episcopi Basiliensis, pleno jure tradiderunt.

(*a*) SATTLER. *Beschreibung des Hertzogth. Würtemb.* P. I. cap. 17. §. 2.

(*b*) LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. cap. 23. & 26.

(*c*) GAMANS. *Hist. Bad.* pag. 213.

Digitized by Google

Rud. IV.

A. 1329. Nicolaus Comes de Lewenſtain venditionem oppidi Bünnenkain & caſtri Obern Magenhain, durante minore ipſius ætate, Rudolpho Marchioni & Marchioniſſæ Lutgardæ factam, confirmavit, eorumque dominum directum, Archiepiſcopum Moguntinum, facta refutatione, de inveſtiendo Marchione rogavit.

A. 1330. Stempferi nobiles pacem cum civitate Spirenſi inierunt, cujus ſervandæ ſponſionem in ſe ſuſcepit Rudolphus. (*d*)

Idem cum Rudolpho Heſſone Spirenſibus damna intulit, quæ ſeptem arbitrorum judicio reſarcire coactus eſt, Bertoldo Eberſteinenſi & aliis obſtagium in ſe recipientibus. (*e*).

§. III.

De Ludovico IV. Imperatore optime meritus, Imperialem Ortenaviæ Præfecturam omnem, ejusque caſtra, civitates, vicos, villas & bona reliqua, pro nongentis marcis argenti & quater mille libris Hallenſium, quas Cæſar ei ſe debere profeſſus eſt, A. 1334. pignoris loco obtinuit. Præterea Mülbergam aliaque feuda Imperii, morte Rudolphi Heſſonis, Marchionis noſtri patruelis vacantia, eidem contulit Cæſar.

Privilegia Ludovic. IV. Imp.

(*d*) Lehmann. *Chron. Spir.* Lib. VII. cap. 28. & Lünig. *Archiv. Imp.* Part. Spec. Continuat. IV. Tom. II. p. 485.

(*e*) Fuchs *in Annotationibus ad Lehmann.* Lib. VII. cap. 30.

Digitized by Google

Noribergæ Imp. A. 1335. brevique post universis Germaniæ civitatibus, ne homines Marchionis proprios in collegia sua reciperent, solenni diplomate ibidem interdixit. In literis his omnibus Rudolphus noster, Marchio *Pforzheimensis* appellatur, vel *Badensis*, *dictus de Pforzheim.*

§. IV.

Wirtembergica. A. 1339. Rudolphus dimidiam partem vici Mensheim, quæ ad ipsum pertinuerat, in Ulricum, Wirtembergiæ Comitem, transtulit. (*f*)

Palatina. Eodem anno Brettam oppidum ab Ebersteiniis Comitibus titulo revocabili acquisivit. Acquisitum ipse Comitibus Palatinis, Ebersteinensium consensu, oppigneravit. (*g*) Palatini denique oppidum hoc emtione penitus sui juris fecerunt. (*h*) Iisdem Comitibus Palatinis oppidum Heidolfsheim, quod pignus Imperii tenebat Marchio, intra sexennium (*i*) bis oppigneravit, (*k*) bis quoque redemtum. A. 1347. portorium in Murgo fluvio acquisivit.

(*f*) Conf. SATTLER. loc. cit. P. I. p. 101.

(*g*) *Acta Compromissi Aurelian.* p. 157. & TOLNER. *in Additionibus ad Histor. Palat.* p. 78.

(*h*) Acta cit. pag. 64. 148. 159. & CHYTRÆUS de *Greichgæa* in Ill. JOH. JAC. REINHARDI *Script. rer. Palat.* Vol. I. p. 497.

(*i*) A. 1340. & 1346.

(*k*) *Acta Compr. Aurel.* pag. 157. & TOLNER. pag. 48. & 97.

Digitized by Google

§. IV.

Post Lutgardam, Alberti Comitis de Lœwenstein viduam, quam Rudolphus noster A. 1323. thori sui sociam junxit, secundis nuptiis duxit Mariam, Ludovici & Friderici Comitum ab Oetingen, Alsatiæ infer. Landgraviorum, sororem; cum qua Pforzheimensi Hospitali Sancti Spiritus annuos viginti quinque librarum Hallensium reditus A. 1336. donavit. Uxores.

Denique septimo Kal. Jul. A. 1348. (*l*) in Lucidæ Vallis monasterio decessit. Sepulcrum ejus Marchica inter monumenta comparebit. Mors & sepult.

Maria die 10. Jun. 1369. extincta, in Godesaugiensi Abbatia, cui annuos reditus XV. librarum Hallensium & VI. quartalium avenæ adscripserat, (*m*) sepulta.

Par filiorum Rudolphus noster reliquit, Fridericum III. & Rudolphum V. dictum *Wecker*, ut ex sequentibus patebit. De natu juniore improle primum, dein de majore, qui genus propagavit, agemus. Filii.

(*l*) SCHANNAT. loc. cit. p. 168.
(*m*) GAMANS. *Hist. Bad.* p. 216.

Digitized by Google

RUDOLPHUS V.

COGNOMINE WECKER

DOMINUS DE PFORZHEIM.

A. 1348 — 1361.

§. V.

RUD. V.

Filius, ut distingueretur à patre, nomini paterno Rudolphi Marchionis Badensis, dicti de Pforzheim, adjectum est Weckeri cognomen. (*n*)

§. VI.

Acta sub Carol. IV. Imp.

Carolus IV. Imperator Spiræ commoratus A. 1349. die Martis ante Palmarum non modo de Imperialibus feudis eum investivit, sed & confirmavit ei Ortenaviæ pignus; quod quinque millibus aureorum minorum adauxit. Præterea Rudolphum & subditos ejus ab omni omnium Judæorum, Argentinensium præsertim, actione mutui liberos pronuntiavit.

Per

(*n*) In literis investituræ Caroli IV. Imperatoris vocatur: *Rudolph Marggraf zu Baaden, Herr zu Pforzheim, der genannt ist der Weckher.* Idem nomen ipsi in aliis ejusdem Imperatoris litteris A. 1362. datis, adscribitur apud SCHILTER. *de simultanea investitura princip. imperii* cap. II. §. 4. *in Comment. ad Jus feudale Alem.* p. 338.

Rud. V.

Per investituram Cæsari, extra Marchionatum Badensem bellum gesturo, quinquaginta milites galeatos se debere Rudolphus professus est. (*o*)

Biennio post tamen ejusdem Cæsaris auctoritate, non refragantibus Friderico & Rudolpho Marchionibus, Ortenaviæ Advocatia in Bertoldi II. Episcopi Argentinensis manus legitima reluitione transivit.

Carolus IV. de pace publica Rhenensi sollicitus, A. 1353. triennale fœdus Procerum ac Civitatum stabilivit Hagenoæ. „ Recessit autem Weckerus Marchio de Baden, nolens esse in „ Liga, cujus frater Fridericus & Hermannus patruus „ (patruelis) in brevi sunt ante defuncti, ut scribit Alber- „ tus „ (*p*)

§. VII.

Hagenbacum (*q*) & Selsa, Alsatiæ oppida, oppignerata Badensibus, tumultui bellico A. 1357. occasionem dederunt. Bellum Alsaticum.

(*o*) Literæ Rudolphi March. Domini Pforzh. dicti Wecker, in Sommerbergii *Script. Rer. Siles.* Tom. III. p. 70.

(*p*) Chron. p. 160.

(*q*) Alsatia Illustr. Tom. II. p. 179. sq.

Frequentes enim ex illis in mercatores præsertim, qui præteribant, direptiones cum fierent, Cæsar Civitates Imperiales, ad Rhenum & in Suevia sitas, induxit, ut Advocatum suum provincialem Alsatiæ sequerentur. (*r*)

Civitates imperata fecerunt, at immutata mox sententia Cæsar utrique parti per Rupertum seniorem, Comitem Palatinum, & Johannem Episcopum Argentinensem pacis inspiravit consilia atque Marchionem porro debellari prohibuit. (*s*) Dirutum oppidum Selsam hoc bello, & mox a Carolo IV. restauratum esse, docet KOENIGSHOVIUS. (*t*)

Triennio post protectionis peculiaris diploma (*u*) Rudolpho seniori ac juniori, Marchionibus Badensibus (*x*) concessit; & mille marcas ex vectigali Selsensi, (*y*) totidemque seniori soli,

(*r*) WENCKER. in *Collect. Archivi & Cancellar. Jur.* pag. 378. Plura de Selsa vid. in ALSAT. ILLUSTR. Tom. II. p. 181. sqq.

(*s*) Ibid. pag. 379.

(*t*) Chron. Alsat. pag. 314.

(*u*) GLAFEY *Anecdot.* num. 156.

(*x*) *Rudolphen den eltern, den man den Wecker nennet, und Rudolphen den jungen, Herrn zu Pforzheim, Marggrafen zu Baden.*

(*y*) GLAFEY loc. cit. num. 155.

RUD. V.

pro damnis Selſæ & Hagenbaci acceptis, Noribergæ cum verſaretur, adſcripſit.

Eodem anno cum utrisque Marchionibus mutui auxilii fœdus Elector Palatinus Rupertus inivit.

§. VIII.

Rudolphi Weckeri, Advocati & inſtauratoris ſui, memoriam, Abbatia Gottsaugienſis Annalibus ſuis grata mandavit. (z)

§. IX.

Obiit quinto Kal. Sept. A. 1361. ſepultus ante altare Sanctæ Catharinæ Lucidæ Vallis. (a) Obitus.

Viduam reliquit Adelheidem, Marchionis Rudolphi Heſſonis filiam, (b) quæ per matrem Johannam Montisbeliardi Co-

(z) Ibidem num. 158.


(a) GAMANS. *Hiſt. Bad.* p. 240.

(b) In Charta A. 1347. HERRGOTT. num. 792. pag. 674. legitur: *Adelheit Margræfin zu Baden und Rudolph genant Weckher ihr ehlicher Mann.* Adde STEYERER *in Addit. ad Hiſt. Alberti Sap.* p. 244.

Digitized by Google

mitiſſam, heres fuit Dynaſtiæ Belfortenſis ex parte, (c) marito ſuperſtes.

(c) Unde in literis A. 1362. quibus undecim Dynaſtiæ Belfort vicos à tributo manus mortuæ liberat, *Noble & puiſſante Dame Alix, Marquiſe de Bade & Dame de Belfort*, appellatur. Literas has Judex Curiæ Archiepiſc. Veſont. exaravit. Cod. Diplom.




Digitized by Google

CAPUT IV.

FRIDERICUS III.

DOMINUS DE BADEN.

A. 1348 — 1353.



§. I.

Badæ Fridericus, Pforzhemii frater Rudolphus VI, Eberſteinii patruelis Hermannus IX. ſuas ſedes habuerunt. Friderieus III.

A. 1348. Friderico huic ejusque fratri Rudolpho Weckerio (*a*) homagium & fidelitatis jusjurandum præſtiterunt cives Pforzheimenſes.

G 3

(*a*) Verba literarum ſunt: „ *Den Hochgeedelten Marggrave Friderichen und* „ *Marggrave Rudolfen genant dem Wecker, Gebrüdern von Baden und* „ *Herrn zu Pforzheim.*

Digitized by Google

§. II.

Res gestæ.

Literis A. 1349. quibus coronam, a Ruperto Palatino Judæis Argentinensibus pro Rudolphó patre olim oppigneratam, sibi in manus traditam Fridericus testatur, Hermannus Marchio, Dominus de Eberstein, & Marchio Rudolphus, dictus Wecker, Friderici frater, sua quoque appenderunt sigilla. (*b*)

Rupertus ille Fridericum nostrum socerum suum vocat in Charta, qua super corona ista Argentinenses absolvit. (*c*)

Fridericum & Rudolphum *fratres*, Marchiones de Baden, Carolus IV. Imperator in diplomate A. 1351. commemorat, quo Bertoldo Episcopo Argentinensi Advocatiæ Ortenaviæ relui-tionem permisit.

§. III.

Mors.

Obiit *Illustris Fridericus Marchio de Baden* IV. Non.

(*b*) Codex Diplomat. Argent. Membr. de A. 1370. pag. 150. ubi: *Wir Marggrave Friederich Herre zu Baden.* In fine: *Wir och Marggrave Herman von Baden, Herre zu Eberstein, und Marggrave Rudolf genant Wecker, des vorgenanten Marggrafe Friderichs Bruder.*

(*c*) Ibidem: *Unserm lieben Sweher, Marggrafe Frideriche von Baden.*

Digitized by Google

FRID.III.

Sept. A. 1353. teſte Necrologio Lucidæ Vallis, (*d*) cui monaſterio jus patronatus in Hauen Eberſtein A. 1348. una cum fratre Rudolpho dederat dono. (*e*)

Uxor.

Fridericus noſter duxit uxorem Margaretham, Rudolphi Heſſonis, patrui ſui, & Johannæ Montisbeliardenſis filiam natu majorem, (*f*) quæ per matrem Dynaſtiæ Hericurtenſis fuerat heres, quam Dynaſtiam A. 1366. condito teſtamento, filiæ ſuæ Margarethæ, primum Godofredo Comiti Leininga-Rixingenſi, dein Henrico Comiti Lucelſteinenſi (*g*) nuptæ, & hac ſine legitima prole moritura, filio ſuo Rudolpho Marchioni Badenſi, adſcripſit. (*h*)

Præterea Margartehæ mille & quingenti floreni ex Dynaſtia Florimontana ab Auſtriæ debebantur Ducibus, unde & Florimontii nomen ſuis titulis adjecit.

(*d*) SCHANNAT. *Vind. Lit.* Collect. I. p. 169.

(*e*) GAMANSIUS p. 239.

(*f*) In charta diviſionis hereditatis maternæ inter quatuor filias A. 1347. inſtitutæ, *Grede Margræfin ze Baden*, *Margrafen Friderich ihr ehlicher Mann*, leguntur apud HERRGOTT. *Cod. Dipl.* num. 792. p. 674.

(*g*) ALSAT. ILLUSTR. Tom. II. pag. 619. ubi corrigendus eſt error in nomine Patris; pro Rudolpho enim Fridericus ponendus.

(*h*) Teſtamentum idiomate Gall. ſcriptum. Margaretha hoc utitur titulo: *Ie Marguerite Marquiſe de Baade*, *Dame d'Ericourt & de Florimont.*

Digitized by Google

FRID.III.

Fridericus III. ergo par liberorum reliquit, Margaretham Godefridi, vulgo Schaffridi, Comitis Leiningensis & postea Henrici Comitis Lüzelsteinensis uxorem, & Rudolphum familiæ Badensis statorem, de quo jam instituendus est sermo.



CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

RUDOLPHUS VI.

COGNOMINE LONGUS.

A. 1353 — 1372.



§. I.

A corporis proceritate *Longum*, non Magnum appello; quamvis elogio hoc eum censeam dignum; fuerat enim animo non minus, quam corpore valens. (*a*) RUD. VI.

§. II.

Marchiæ Badensis partes, tam diu divisæ, in unum denique corpus sub hoc Rudolpho redierunt. Quamdiu cognominis patruus vixit Weckerus, Rudolphus noster dictus est *junior*. Marchiam conjungit.

(*a*) Staturam ejus ad XII. pedes scriptores juniores fabulose extendunt.

Digitized by Google

Hic cum patruo A. 1356. pactum familiæ condidit; omnium Domus Badensis pactorum basis & fundamentum. (*b*)

Placuit, ut alteri, sine mascula sobole morituro, alter in universis succederet terris & bonis. Placuit, ut filiabus pro omni suo jure mille marcæ argenti, cum nuberent, solverentur. Terras & subditos alienare ne liceat. Oppignerare liceat, sed caute. In difficilioribus rebus, in tuendo potissimum jure salvi conductus, mutua præstentur auxilia. Domesticæ lites, si quæ oriantur, per arbitros, quos dicunt Austrægas, componantur amice. Pacti hujus virtute patruo suo, A. 1361. ut vidimus, extincto, heres successit noster Rudolphus.

§. III.

Investitur a Cæsare.

Idem a Carolo IV. Imperatore, in cujus aula fuerat educatus, veniam eodem anno obtinuit gabellam seu vectigal (*Umgeld*) imponendi vino omnique frumentorum generi, in civitate Pforzheim, secundum jus & consuetudinem terræ.

A. 1362. ab eodem Imperatore totius Principatus seu Marchiæ Badensis investituram Noribergæ accepit.

Cæsar limites ejus ita definit: „ A Graba usque ad Mülenberg ad Albam, ab Alba usque ad Schwarzacum & Hardtam interjacentem, cum Ettelinga oppido, cum jure forestali, condu-

(*b*) Conditum est Ettlingæ die Lunæ post S. Michaelis A. 1356.

Digitized by Google

ctus per terram & flumina, cum moneta, judiciis & aliis juribus, quibus majores ejus sunt usi. (c)

Primae hae sunt literae feudales, quas novimus, Marchionibus Badensibus super Marchiam a Caesare datae; in quibus hoc singulare, quod ad simultaneam Marchiae investituram admissus est Rupertus I. Palatinus Elector. Occasionem rei dedit liberalitas Rudolphi, qui Ludovicum, Comitem Oetingensem, quem impense amaverat, Marchiae suae instituerat heredem. Factum hoc damnavit Caesar, non quod res acta sine Caesaris, ut domini directi consensu, sed quod peracta sine patrui consensu, quodque minor fuerit aetate Marchio; quasi de allodio, non de feudo Imperii ageretur.

Crederes Marchiam Badensem antea fuisse allodialem, quoad fundum, & Marchiones nonnisi de regalibus investitos a Caesare; cujus generis feudorum & alia hodie prostant exempla. Marchiones profecto passim in Chartis *Domini in Bada* vocantur, quae nunquam vera Marchia fuit, sed Dynastia a Principibus, qui Marchiones vocabantur, possessa.

Quicquid hujus rei sit, prima haec si non fuit Marchiae investitura Caesarea, aliam antiquiorem indicaverit nemo. De

(c) Extant in TOLNERI *Hist. Palat.* Cod. Dipl. n. 158. SCHILTERI *Cod. Feud. Aleman.* pag. 338. & LÜNIG *Reichs-Archiv* Part. spec. Contin. 2. *Fortsetz.* 1. pag. 939.

De tota fcilicet Marchia Badenfi, non de partibus quibusdam, ut Mühlenbergæ Caftro &c. quæftio eft. Marchionatus Hachbergæ naturam allodii tum adhuc retinuit.

§. IV.

Pactum fucceff. cum Palat.

A. 1363. Rudolphus nofter fucceſſorium cum Ruperto, Palatino Electore, pactum inivit; in quo oppida Heidesheim & Wildberg ipfi promiffa, fi fine mafculo herede deceſſerit Elector, quem viciffim terrarum Badenfium fcripfit heredem, fi absque prole mafcula obierit Marchio.

Eodem anno Rudolphus Diterico a Gemmingen inveftituram vici Damm conceffit. Ouvenshemio autem duas curias in vico Bolach dedit in feudum.

§. V.

Privilegia Caroli IV. Imp.

Tum temporis quoque Carolus IV. vectigal Groffi Turoronenfis Mülbergæ, & A. 1364. duorum Turonenfium Schreckæ, de omnibus mercibus Marchioni conceffit.

Quin & A. 1365. Comitatum Lœwenfteinenfem, Alberti Comitis morte ad Imperium rediturum, eidem Spiræ contulit in feudum. Spes hæc tamen caruit effectu. (*d*)

(*d*) Primus Comes de Lœwenftein fuit Albertus, filius Rudolphi I. Imp. fpurius, quem fcriptoribus ignotum, charta patris A. 1283. prodit. Chartam

§. VI.

A. 1633. Ruperto I. Palatino Electori Belicheim & Belheim, hodie præfecturæ Germersheimensis vicos, quos pignoris jure ab Imperio tenuerat, Marchio noster oppigneravit. (e) Reluit eos aut ipse, aut filius Bernhardus, qui A. 1383. illos denuo Palatino subjecit. Palatina.

§. VII.

Triennio post Rudolphus auxilium præstitit Eginoni, Friburgi Comiti, in bello, quod cum civibus suis & Brisacensibus, Neoburgensibus & Basiliensibus gessit. (f) Friburgensia.

Eodem anno ab eodem Eginone omnes ejus vasallos infra Bleicham flumen in Ortenavia, Rhenum inter & Nigram silvam, biennioque post Castra Rotenfels, & Reichenbach coëmit. Stollhovam vero, aliorum pignus, florenis bis mille ac ducentis redemit.

hanc ex scrinio Elect. Palat. Codex noster Diplom. dabit. Comitatus iste Friderico Victorioso, Electori Palatino A. 1441. venditus est; unde nova Comitum Lœwensteinensium progenies surrexit.

(e) Acta compromissi Aurelian. pag. 157. Tolner *in addit. ad Histor. Palat.* pag. 79. ubi error in nomine Marchionis.

(f) Histor. Bad. Tom. I. pag. 252.

Digitized by Google

§. VIII.

Bellum cum Eberh. Wirtenb.

Cum Eberhardo, Wirtenbergiæ Comite, congreſſus eſt bello, quod Carolus IV. Imperator, multorum Imperii Principum conſilio, A. 1370. compoſuit, Johannem de Oſweil, Wolfg. de Steine, Bertoldum & Hermannum de Sachſenheim, Georgium de Entzberg aliosque Nobiles obſtringens, ut bona quædam ex ſuis Marchioni noſtro offerrent in feudum.

Eodem anno Leopoldus & Albertus, Auſtriæ Duces, Rudolphum ſuarum in Brisgovia terrarum, inter quas nominatim expreſſa ſunt oppida Neoburgum, Briſacum, Friburgum, Kenzinga, quibus addita Villinga, conſtituerunt Advocatum provincialem & militiæ Præfectum.

§. IX.

Mors & ſepultura.

Obiit Rudolphus XIII. Kal. Aprilis A. 1372. in Abbatia Lucidæ Vallis & quidem in Capella, Marchionum Badenſium ſepulturæ deſtinata, ſepultus. (*g*)

Ad latus Eccleſiæ Monaſterii Lucidæ Vallis Capella eſt, quæ Principum mortuorum vocatur Capella, Sanctæ Annæ dedicata. In ea ſepulti ſunt plerique Badenſes, Periodi Rudolphinæ Marchiones. In medio Capellæ viſitur ſepulcrale monumentum Rudolphi Longi, cum imagine ejus jacente, quam circumdat In-

(*g*) Necrolog. Lucidæ Vallis apud SCHANNAT. Vindem. Liter. Collect. I. pag. 166.

Digitized by Google

RUD. VI.

ſcriptio. Monumentum hoc æri inciſum inter ſepulcralia repræſentamus Lectori. Rudolphus Marchionum Badenſium in Lichtenthal ſepultorum poſtremus.

§. X.

Conjux.

Uxor Rudolphi Longi fuit Mechtildis, Johannis Comitis Spanheimenſis filia, (*h*) quam vivo patre Friderico ſibi deſpondit A. 1346. quinque millia librarum Hallenſium cum ea accepturus pro dote. Ex ſumma hac duo millia Rupertus Palatinus, reliqua Johannes perſolvit.

Rudolpho dati ſunt hujus pacti ſponſores, Rudolphus & Rupertus Comites Palatini, fratres, Gerlacus Naſſovius, Simon Salmenſis, Walramus Spanheimenſis, Adolphus & Johannes fratres Naſſovii, Wilhelmus & Johannes Cattimelibocenſes, Fridericus & Emico fratres Leiningenſes Comites, præter alios inferioris Ordinis Nobiles.

Mechtildi, præter hanc dotem, ex hereditate paterna nihil debebatur, niſi patre decedente ſine maſcula prole. (*i*)

Mechtildis marito ſuo diu ſuperſtes, A. 1378. a Gerhardo de Staffort, milite, homines proprios ſuperioris & inferioris Hardæ ſibi comparavit.

(*h*) Errant Genealogi, inter quos IMHOFIUS in *Notitia procer. Germaniæ* Lib. IV. Cap. VIII. §. 6. quod Mechtildem hanc Johannis Comitis Spanh. ſororem, Heinrici filiam conſtituunt. Emendatio noſtra ex ipſis tabulis ſponſalibus deſumpta.

(*i*) *Ane Leibs-Erben.*

Digitized by Google

RUD. VI.

At alienavit eadem hæc Mechtildis plura. A. 1390. Ruperto II. Palatino Electori cessit bonis suis in Heidelsheim, Wildsberg (*k*) & Eppingen. (*l*)

A. 1391. eidem Electori tradidisse arcem Besisheim scribit TOLNERUS. (*m*)

A. 1406. Ruperto Cæsari, concessit castra sua Mosbach & Obernheim. (*n*)

§. XI.

Liberi.

Mechtildis mater fuit trium liberorum; Bernhardi, novam Familiæ Badensis qui periodum condidit, Rudolphi VII. & Mechtildis, quæ Henrico XIII. Comiti Hennebergensi nupta, A. 1421. decessit. (*o*)

(*k*) Alias Wiberg, hodie Wildberg.

(*l*) TOLNER in *addit. ad Histor. Palat.* ex Actis Comprom. Aurel. pag. 74.

(*m*) Idem l. c.

(*n*) Idem l. c.

(*o*) SPANGENBERG *Chron. Henneberg.* Lib. V. Cap. XVII. pag. 206. sq. ubi Mechtildis hujus matrem, quæ Spanheimensis genere fuit, Ebersteinensem male nominat.



CAPUT

Digitized by Google

PDIANA.

ı. 1431.

2) Anna,

ANNA.	BEULA.	BERNHARD.	BRIGITA.	RUDOLPHUS.
		natus	nata	natus

princeps ad arduas [illegible]

Digitized by Google

CAPUT

Digitized by Google

PERIODUS IV.

SIVE

BERNHARDIANA.

CAPUT I.

BERNHARDUS I.

Ab A. 1372 — 1431.

§. I.



Periodum Badensis Historiæ aggredior, multitudine & gloria rerum gestarum præ ceteris claram. Tribus ea superbit Marchionibus, patre, filio, nepote, qui singuli Marchiam omnem soli rexerunt potenter; nominis sui fama per orbem illustres, magnitudine mentis in Annalibus noti. Bernhardum, Jacobum, Carolum intelligo, qui 103. annorum epocham complent. Introitus.

Hos inter omnium judicio primatum tenet Bernhardus, princeps ad ardua natus; regiminis diuturnitate & gloria avis suis Bernhardus I.

Digitized by Google

Bernh. I.

& omnibus ſeculi ſui Marchionibus major; dignus, qui non Marchionatum modo, ſed Imperium regeret.

Regimen ejus in turbida illa tempora incidit, quibus Wenceslaus Cæſar Imperiales Civitates in Principum ordinem, Principes viciſſim in Civitates commoverat. Bernhardi pater diſtracta quædam Marchionatus Badenſis membra revocavit ad corpus. Bernhardus Hachbergenſem Marchiam eidem conjunxit; quin & terras novas adjecit. His nervis inſtructus prudens & bellicæ indolis princeps, fratre quoque ſine prole defuncto, ſolus Marchiam regens, in Martis theatro comparere cœpit, ut contra multiplices hoſtes jura ſua ſociosque defenderet, bellaque undiquaque illata repelleret.

§. II.

Tutela ejus.

Bernhardi & Rudolphi fratris ejus tutelam geſſit Rupertus I. Palatinus Elector, qui jus torcularis Monaſterio Albæ Dominorum A. 1377. tutor confirmavit. Bernhardus regimen adiens, Rudolphi fratris tutelam ad annum uſque 1380. geſſit, quo diviſionis pactum inivit cum fratre, ſibique Pforzhemium atque Durlacum cum inferioribus terris retinuit; Badam cum ſuperiori Marchia fratri relinquens; (a) qui A. 1391. extinctus, Bernhardo ſoli Marchiam omnem reliquit.

(a) Inſtrumentum diviſionis non reperi. Veriſimile eſt, diviſionem eodem anno 1380. factam, quo pacta familiæ inter ſe fratres inierunt. Legitimam ætatem attigiſſe tum videtur Rudolphus, cujus tutelam adhuc geſſerat frater A. 1379.

Digitized by Google

§. III.

Bernhardus Equestribus ludis A. 1374. Eslingæ adolescens interfuit. (*b*) Initia Bernhardi.

Quadriennio post ei & Electori Palatino Spirensis Episcopatus defensio, a Carolo IV. Imperatore, commissa est. (*c*)

A. 1379. Rupertus senior & junior, Otto, Stephanus, Fridericus, Johannes & Rupertus, Palatini Ducesque Bavariæ & Bernhardus Marchio noster, suo & tutorio Rudolphi fratris nomine, fœdus mutui auxilii cum Civitatibus Sueviæ Imperialibus, in quinque annos Badæ, die Sancti Ulrici iniverunt. (*d*) Pactum familiæ cum fratre.

Unde factum, ut in magno illo VII. Rhenensium & XXXIII. Suevicarum Civitatum fœdere A. 1381. Spiræ contracto, & accedente paulo post Ratisbona, in decennium renovato, Bernhardus & Rudolphus, Marchiones Badenses, nominatim exciperentur; (*e*) nisi alteruter unam ex fœderatis Civitatibus injuste petierit bello. (*f*)

(*b*) CRUSIUS *Suevicor. Annal.* Part. III. Lib. V. pag. 285.

(*c*) SIMONIS *historische Beschreibung aller Bischöffe von Speyer*, in Adolpho Episcopo pag. 138.

(*d*) DATT. *de pace publica* Lib. I. Cap. 6. pag. 39.

(*e*) LEHMANN. *in Chronico Spirensi* Lib. VII. Cap. 66. pag. 747. & 748.

(*f*) DATT. l. c. Cap. 8. n. 12.

Digitized by Google

§. IV.

A. 1380. die Sancti Galli Heidelbergæ, inter Bernhardum & Rudolphum Marchiones, fratres, conditum est Familiæ Pactum in has leges:

1. Marchionatus Badensis nunquam plures, quam duo, habeat Regentes, sive maneat in statu præsenti, sive ditionibus augeatur.

2. Marchiones Regentes sint compotes mentis, animo & corpore sani.

3. Jus primogenituræ in utraque linea observetur.

4. Appanagiati singuli annuos 500. florenos accipiant.

5. Dos filiæ principis sit 6000. florenorum.

6. Alienatio terrarum prohibetur.

7. Oppigneratio earum limitatur.

8. Prohibetur, ne quid ex Marchicis terris Argentinensi aut Spirensi Episcopis, nec Comiti Wirtenbergiæ vendatur; vicinorum Magnatum ne augeatur potentia.

§. V.

Acta A. 1381. & sq.

A. 1381. Bernhardus, cum Rudolpho fratre, Albertum de Enzberg, dictum Schuhelin, de parte sua munimenti Enzberg, reservato sibi jure aperturæ, investivit. Eodem anno Eberhardus & Ulricus filius ejus, Wirtenbergæ Comites, Bernhardo & Ru-

Digitized by Google

Bernh.I.

dolpho fratribus omnem ſe daturos operam promiſerunt, ne munimentum Straubenhart, communi ipſorum conſilio deſtructum, reſtauraretur.

A. 1 3 8 2. Argentinenſes una cum Lützelſteinenſibus, caſtrum *Chatelot* in Montisbeliardenſi Comitatu, ob frequentes rapinas, ex eo in finitimos exercitas, funditus deſtruxerant. Vergius, Burgundiæ Comes, ad quem Caſtrum pertinuerat, vindictam ſumturus, collecta magna militum manu, Dominorum de Lützelſtein & de Vinſtingen terras ferro & igne delevit. Argentinenſes eorumque Epiſcopus, Marchiones Badenſes, aliique Barones, Civitates & Nobiles, junctis inter ſe armis, in bellum adverſus Comitem profecti ſunt, qui, cum viribus ſuis diffideret, celeri fuga ſibi conſulere, quam dubio Marti ſe ſuorumque fortunas committere maluit. (*g*)

§. VI.

Inveſtitura Wenceslai Imp.

Eodem anno Wenceslaus Cæſar Bernhardum de Marchionatu & terris, a Graba usque ad flumen Schwarzach, inveſtivit Francofurti. Feudalibus literis Caſtrum *Iberg* quoque inſertum. (*h*) Quin & mentio fit Provincialis Judicii, vectigalium in

I 3

(*g*) Koenigshov. *Chron.* Cap. 5. §. 160. *aliaque Chronica Mſcpta Argent.*

(*h*) *Iberg* caſtrum hodie dirutum eſt in Marchionatu Badenſi, ſupra Steinbacum.

Digitized by Google

BERNH. I.

Sellingen ad Rhenum, in vico Raſtatt, in oppido Ettlingen, in Schreck ad Rhenum, ut & aliorum jurium, quæ in terris ejus ipſi competebant. Nec omiſſi Judæi. (*i*) Poſteriores hæ partes in literis feudalibus Caroli IV. omiſſæ fuerunt.

Biennio poſt Leopoldus, Auſtriæ Dux, Auſtriacarum in Brisgovia terrarum advocatum conſtituit Bernhardum. (*k*)

A. 1383. Bernhardus oppida Bellichheim & Bellheim, Imperii pignora, quæ jam a Rudolpho, Bernhardi patre, Elector Palatinus ante vicennium redemerat, eidem redimenda conceſſit, addita quoque facultate Civitatem Elpingenſem (Eppingen) reluendi; (*) quam tamen A. 1424. demum Electori dimiſit.

A. 1387. Wenceslaus Imperator Marchioni privilegium de non evocando indulſit; ne miniſteriales ejus vel ſubditi in aliis, quam Marchicis Judiciis convenirentur.

§. VII.

Bellum cum Sueviæ Civitatibus.

A. 1388. diuturnæ Principes inter & Suevici Fœderis Civitates diſcordiæ eruperunt in bellum; quo durante Badenſes quoque ditiones vaſtatæ ſunt. Stephanus & Fridericus, Bavariæ

(*i*) Literæ hæ inveſtituræ extant in Cod. Diplom.

(*k*) Tabularium Bada-Badenſe.

(*) Electa juris publici Hiſtor. Palat. illuſtrantia pag. 160. 162.

Digitized by Google

Duces, A. 1387. Salisburgensem Archi-Præsulem Pilegrinum, memoratas ob Civitatum cum Principibus lites, captivum tenuerunt. (*l*) Civitatibus autem, Pilegrini sociis, cum quoque damna inferrent, fœderatæ per Sueviam, Bavariam & Franconiam Civitates, communicato cum Rhenensibus consilio, Bavariæ Ducibus eorumque sociis bellum denuntiarunt. (*m*). Præcipuus turbarum auctor fuit Wenceslaus Cæsar, Principibus infensus, quod de eo deponendo consilia nuper agitassent. (*n*) Unde non solum de patrocinio suo certas jussit esse Civitates, sed & ipse indicto Bavariæ Ducibus bello, publice Civitatum partes amplexus est. (*o*) Bellum hoc in Bavaria initium ceperat, inde per Franconiam Sueviamque se extendit ad Rhenum. Rhenenses, Alsaticæ & Wetteravicæ Civitates, a Wenceslao excitatæ, Ruperti Electoris Palatini terras invaserunt, ut ab auxilio Bavariæ Ducibus ferendo eum arcerent, sed victæ sunt à Ruperto Civi-

(*l*) AVENTIN. *Hist. Bojor.* Lib. VII. Cap. 22. §. 8. HUNDII *Metrop. Salisburg.* Tom. I. pag. 17. ADLZREITTER *Annal.* Part. II. Lib. VI. §. 17.

(*m*) De bello hoc scripsit TRITHEMIUS *in Chron. Hirsaug.* ad A. 1388. KOENIGSHOV. *in Chron.* Cap. 5. §. 178. sqq. AVENTINUS Lib. VIII. Chron. Mscpta Muegii aliorumque.

(*n*) LEHMANN. Lib. VII. Caq. 69. pag. 766. ubi literas Wenceslai exhibet, quæ id manifeste docent.

(*o*) Idem l. c. pag. 756.

Digitized by Google

BERNH. I.

tatum copiæ, duobus prœliis; altero ad Spiram, altero ad Francofurtum commiſſo. In Suevia præſertim atque Bavaria, magno animorum ardore res geſta. Vici utrimque magno numero exuſti.

§. VIII.

Pax Egrana.

At Wenceslaus, ſemper animo hærens, prodita denique Civitatum cauſa, tranſivit ad Principes. Literas dehortatorias ad Salisburgenſem Archiepiſcopum dedit, (p) quem paulo ante adverſus Principes in bellum ſtimulaverat. Unde, confluentibus ad Wenceslaum Principibus Civitatumque legatis, A. 1389. menſe Majo funeſta Civitatibus illa Pax Egræ compoſita, qua reſciſſo Civitatum & Principum fœdere, pax publica ad Rhenum, in Suevia, Bavaria, Franconia, Thuringia, Miſnia, in ſexennium ordinata, atque ſtatutum, ut Civitates tum demum pacis hujus eſſent participes, ſi vel amice, vel coram arbitris, ad id electis, de bello cum Principibus tranſegerint. Civitates, magno ære Principibus ſoluto, Egranæ Paci acceſſerunt paulatim. (q) Bernhardus Marchio, ipſe licet non implicitus bello, damni tamen nomine

(p) Exhibet illas LEHMANNUS l. c. pag. 765.

(q) Vid. KOENIGSHOV. Cap. 5. §. 196. & LEHMANNUS *in Chron. Spir.* Lib. VII. Cap. 69. pag. 767.

ne XV. mille florenos a Spirensibus postulavit. (r) Argentinenses paulo post suam quoque partem solverunt. (s)

§. IX.

Rhenensis.

Principes & Civitates, in varios districtus divisi, totidem paces particulares condiderunt. Ad Rhenum Moguntinus Antistes, Ruperti, Comites Palatini, Fridericus Argentinensis Episcopus, Bernhardus & Rudolphus Marchiones Badenses, cum Civitatibus Moguntia, Argentorato, Wormatia, Spira, Francofurto, Fridberga, Gelnhusa, Hagenoa, Selsa, Wisenburgo, Selestadio & Ehenhemio, peculiari formula, jurejurando firmata, mense Junio A. 1389. pacem fecerunt. Conventum quoque de numero hastiferorum, (*Gleven*) quos singuli, redigendis in ordinem turbatoribus pacis, contribuerent. Bernhardus & Rudolphus Marchiones quisque duodecim milites darent. (t)

A. 1391. Fleckensteinensibus Dynastis auxilio fuit Bernhardus contra Advocatum provincialem & civitatem Hagenoensem, qui de vicis quibusdam cum Fleckensteinensibus lites alebant. (u)

(r) LEHMANNUS l. cit.

(s) Vid. infra ad A. 1393.

(t) Instrument. exhibet WENCKER *de Ussburgeris* pag. 150.

(u) HERZOG *Chron. Alsat.* Lib. IV. Cap. 7. pag. 159.

Digitized by Google

Bernh. I.

Eodem anno Marchio noster Ruperto II. Electori Palatino concessit, ut novo Rheni alveo ad Lidolshemium ducto, Germersheimensis oppidi ruinam præverteret. (x)

§. X.

Bellum Argentinense.

A. 1392. (y) Bernhardus novo cum Argentinensibus bello implicitus est; cujus originem & fata paucis exponam. Bruno, Rapoltsteinensis Dynasta, cui civitatis jus concesserant Argentinenses, A. 1388. militem Anglum Johannem de Harleston, custodiæ mandaverat in Gemariæ Castro. (z) Rex Angliæ de liberando hoc milite literis aliquoties cum Argentinensibus egit. Bruno jure suo se usum cum pertinaciter contenderet, vimque ei inferre noluissent Argentinenses, res a Rege Angliæ ad Wenceslaum Imperatorem delata, qui civitatem indicta causa proscripsit, sententia Burglitzii data A. 1390. Dimissus e captivitate Harlestonius. Argentinenses de abolenda proscriptione Pragam miserant legatos, qui ne in conspectum quidem Regis ad-

(x) Agri tum Lidolsheimensis pars, quam Wildich appellant, trans Rhenum rejecta.

(y) Errant Auctor Anonym. Paraleipom. *Urspergensi Chronico* additorum pag. 282. Caspar Hedion *Chron.* pag. 598. aliique plures, qui bellum hoc ad A. 1388. referunt.

(z) Causas hujus detentionis ex Archivo Rapoltsteinensi narrat Wenckerus *de Usburgeris* pag. 179. qui & alia huc spectantia documenta ex Archivo Argent. producit.

Digitized by Google

Bernh. I.

missi, re infecta domum redierunt. Sed intercedentibus Argentinensium amicis, Lambertus Bambergensis Episcopus & Worzibojus de Swimar, Advocatus provincialis Alsatiæ, a Rege nominati, A. 1391. Moguntiæ cum Argentinensibus transegerunt, ut solutis 4500. florenis, a proscriptione liberarentur. Verum enimvero Bernhardus Marchio Badensis, ut & Hachbergæ ac Sausenbergæ Marchiones, Fridericus Argentinensis Antistes, (a) Eberhardus Wirtembergæ Comes, Dux Geldriæ, Dux Juliaci, Comites Kiburgi, Leiningæ, Lützelsteinii, Fürstenbergæ, Nassoviæ, Salmæ, Blanckenbergæ, Sarwerdæ, Dynastæ Thiersteinii, Bitenses, Lichtenbergenses, Geroldseckii, & offensarum primus auctor Bruno Rapoltsteinensis, aliique longo numero socii, (b) pacem impediverunt.

§. XI.

Ejus causæ.

Argentinensium dominatus in Rheno, quem firmo ponte flumini imposito, (c) præsidiisque firmato, haud ita pridem

(a) Continuator Koenigshovii apud Schilterum pag. 757. auctor nobis est Episcopum Argent. ad centum membranas blancas (*Cartes blanches*) a Wenceslao impetrasse, sigillo Imperiali munitas, quibus ille principes multos ad bellum excitavit.

(b) Continuator Koenigshovii l. c. pag. 756. & 758. Crusius *Annal. Suevicor.* Part. III. Lib. VI. p. 314. & Chronica Mspta Argent. Muegii & aliorum.

(c) Vid. infra in Rudolpho ad A. 1398.

ſtabiliverant, odia vicinorum adauxit; quibus periculoſum videbatur, quod liberum Argentinatibus eſſet, finitimos trans Rhenum agros, quoties libuiſſet, aggredi & infeſtare impune. De vectigali non loquor; nec de veteri querela, quod exteros ſubditos in cives, quos Usburgeros & Pfalburgeros vocant, aliarum quoque Civitatum receperint more. Quin & ex Magnatibus plures oppignerationibus, ære alieno cenſibusque Civitati pridem fuerant obſtricti; quæ debita bello ſe extincturos ſperaverant. Bernhardum ſpeciatim ſtimulabat Selſa, majoribus ejus ab Argentinenſibus ademta atque everſa; Marchionatus Badenſis, in nupero inter Civitates & Principes bello per Argentinenſes eorumque ſocios vaſtatus. (*d*)

§. XII.

Fata. Principes ergo, junctis cum Advocato provinciali Alſatiæ copiis, A. 1392. menſe Septembri inopinato Argentoratum aggreſſi ſunt bello; poſitisque cis & trans Rhenum caſtris omnem ejus agrum ferro & igne vaſtarunt; velitationibus multis ad ipſa civitatis mœnia commiſſis. Pontem novum Rheni ab utraque fluminis parte oppugnarunt fœderati. Dimiſſæ verſus eum naves ſulphure & pice ardenti refertæ, ſed Argentinenſium induſtria depulſæ. Aliæ prægrandes adverſus pontem actæ, pilas everſuræ, caruerunt quoque ſucceſſu.

(*d*) Literæ Bernhardi de A. 1393. infra pag. 77. not. h.

Digitized by Google

Inter hæc Argentinenſes frequentes ex urbe irruptiones fecerunt, multis hoſtium occiſis, vel in captivitatem abductis. Quin & ipſi in Epiſcopi terras & Marchionatum Badenſem, bis facta incurſione, magna cum præda redierunt in urbem. BERNH. I.

Eodem tempore Spanheimenſis Comes & Scultetus Oppenheimenſis cum Wormatienſium, Moguntinenſium & Spirenſium legatis Argentinam venerunt, de bello componendo tractaturi. Centum millia florenorum, inter Principes dividenda, ab Argentinenſibus petebantur. Judicem litium ſeſe obtulit Provincialis Advocatus Alſatiæ: ſed conditiones ab Argentinenſibus rejectæ. Advocatus cum parte copiarum in Bohemiam mox abiit. Marchio Badenſis cum Wirtenbergico Comite aliisque fœderatis, reverſi ſunt domum. Argentinenſes, miſſis Pragam legatis, pacem a Wenceslao tandem obtinuerunt.

§. XIII.

A. 1393. Pax Betteleriæ concluſa. Argentinenſes, ſolutis 32000. florenis, in gratiam reducti. (*e*) Compenſata ſunt damna durante bello illata; reſtituti captivi. Confirmatus Argentinenſibus Rheni pons & jura ponti annexa. (*f*) Exitus.

(*e*) Inſtrumentum extat apud WENCKERUM *de Uſsburgeris* pag. 191.

(*f*) Peculiare Diploma Wenceslai pro ponte Rhenenſi A. 1393. datum, exhibet IDEM l. c. pag. 197.

Digitized by Google

BERNH. I.

Dies brevi post Hagenoam indictus est, quo reliqua componerentur gravamina. (g) Comparuit inter Principes Bernhardus, & bis mille florenis ab urbe acceptis, omni, quam ante bellum intenderat, liti renunciavit. (h)

(g) DANIEL SPECKLIN *Chron. Mspt.* & HERZOG. *Chron. Alsat.* Lib. IV. p. 104. Conventum hunc Hagenoensem locum habuisse tradunt. HERZOGIUS loc. alleg. exhibet literas reversales Principum & Civitatis, quibus sub pœna amittendæ actionis Hagenoæ se comparituros promittunt.

(h) Instrumentum ea super re confectum die Lunæ post S. Crucem repertam in Archivo Argent. extat. In eo hæc leguntur: „ Wir Bernhart von „ Gots Gnaden Marggrafe zu Baden bekennen uns offenbar und tun „ kunt menglich mit diesem Briefe, um soliche Vorderung und An„ sprache, so Wir lange Zit an die Erbern Wisen den Meyster, den „ Rate, und an die Burgere gemeiniglich der Stat zu Strasburg ge„ habt hant, von soliche Schaden und Ubergrifs wegen, so uns und „ den unsern u. auch unsern Dienern von In, Irn Burgern, helffern „ und dienern mit Dotschlegen, Brande, Nome und ander Verlust „ und Schaden geschach und geschehen ist, in Unsrer Marggrafeschaft, „ in unsrer Pfantschaft zu Herrenberg und zu Hochberg zu den Ziten, „ da fürsten und herrn mit In und andern Steten Krieg hatten, der „ uns doch nit angieng, - - - - - und ist darum ein solich ke„ runge mit einer Summe gelts, mit Namen zweytusend Güldin „ von In, als verre sie das eintrift, dafür worden u. bezahlt, damit „ uns gen In begnüget &c.

Digitized by Google

§. XIV.

A. 1394. Ordinis S. Wilhelmi Monachi in Valle S. Mariæ prope Hagenoviam a Bernhardo Marchione in tutelam recepti, perpetuam miſſam pro eo ſe dicturos promiſerunt. Acta A. 1394. & ſeq.

Eodem anno Johannes Conzmannus, Nicolaus Conzmannus & Conzmannus de Staffurt fratres, ſcripto promiſerunt, ſe majorum ſuorum exemplo, in perpetuo Marchionis ejusque poſterorum perſtituros ſervitio, nec corpora ſua, nec bona, ab ipſis unquam alienaturos. In omnibus quoque munimentis & caſtris ſuis, quæ jam poſſideant & quæ acquiſituri ſint, jus aperturæ ſpoponderunt Marchionibus. Ex caſtris his nominantur Meyenfels & Staffurt.

A. 1395. (*i*) Bernhardus cum Conrado Moguntino Electore, Ruperto ſeniore Comite Palatino & Nicolao Spirenſi Epiſcopo, mutui auxilii fœdus adverſus ſocietatem Nobilium, quam vocabant *der Schlegel*, (*k*) publicæ paci exitioſam, Heidelbergæ inivit. (*l*). Fœderi huic eodem anno (*m*) Leopoldus Auſtriæ

(*i*) Die Dominica ante Feſtum Pentecoſtes.

(*k*) De ſocietate hac vid. WENCKER *de Uſſburg.* pag. 98. ſqq. & *in Apparatu Archiv.* pag. 249. ſqq.

(*l*) GUDENUS Cod. Diplom. Mog. Tom. III. pag. 6. unde Ruperti Comites Palatini in fœdere, eodem anno cum Civitate Spirenſi in triennium inito, Marchionem Badenſem nominatim exceperunt. LEHMANN Lib. VII. Cap. 69. pag. 768.

(*m*) Die Saturni ante Feſtum S. Thomæ.

Digitized by Google

BERNH. I.

Dux, Eberhardus Wirtenbergæ Comes, pluresque Sueviæ Civitates, Pforzhemii (*n*) acceſſerunt. Anno ſequenti nova illa Nobilium Societas periit. (*o*)

§. XV.

Ordinatio monaſterii Albæ feminarum.

A. 1396. 15. Jul. Bernhardus cum Marquardo Albæ Dominorum & Alberto Gotſavienſi Abbatibus, in monaſterium Albæ feminarum ſe contulit ibique compoſitis, quæ dudum inter Abbatiſſam & Conventum agitabantur, controverſiis, novas monaſterio leges præſcripſit, quas mutandi, minuendi, augendive poteſtatem ſibi diſerte ſervavit. (*p*)

Pacta Moguntina.

Eodem anno feria ſexta poſt Martini Bernhardus noſter Moguntiæ Godefrido Liningenſi Comiti, quem Capitulum Moguntinum in Conradi, Archiepiſcopi defuncti, locum elegerat, decem millia florenorum intra proximum quadrimeſtre ſpatium mutuo ſe daturum promiſit. Summa hæc, tuendæ in Romana Curia electioni deſtinata, ex Gernsheimenſi telonio reſtituenda Bern-

(*n*) WENCKER *de Uſsburgeris* pag. 103.

(*o*) LEHMANN *in Chron. Spir.* l. c.

(*p*) Ordinationem hanc vide in ſcripto: Supplication pro mandato pœnali &c. *in Sachen Frauen Marggräfin zu Baden Baden, als Vormünderin,* contra *Frauen* Mariam Gertrudem *von* Ichtersheim *Abtiſſin, ſo dann Priorin und Convent des Jungfrauen Cloſters Frauenalb* pag. 97.

Digitized by Google

Bernhardo. (*q*) At Bonifacius Pontifex Johannem Nassoviæ Comitem Archiepiscopum nominavit (*r*) reprobato Godefrido: unde pacta caruerunt effectu.

§. XVI.

A. 1397. feria 3. ante Dominicam Palmarum, Bernhardus ob damnum, ex Hohenbergensi Comitatu, ab officialibus Austriacis illatum, cum Leopoldo Austriæ Duce, Ensishemii convenit, ut rei amice componendæ duo ab utraque parte nominarentur consiliarii, quibus inter se dissidentibus, vel Hugo Montfortii Comes, vel Johannes Lupfensis, vel Fridericus de Fledenitz, superarbiter adderetur. (*s*)

Lites cum Leopoldo Austriæ Duce

Iisdem temporibus Bernhardus graves cum Spirensibus dissensiones alebat, quod plures ejus homines proprios, Pforzhemii atque Etlingæ habitantes, A. 1394. cives recepissent, damnaque in bello inter Principes atque Civitates Marchioni illata, resarcire noluissent. Res multis utrimque turbis præbuit occasionem, donec A. 1397. Rupertus senior, Elector Palatinus, suam auctoritatem interponeret.

cum Spirensibus.

Hic inspectis Bernhardi & Spirensium privilegiis ab Imperatore & Imperio acceptis, cum ea sibi invicem viderentur contra-

(*q*) Gudeni *Cod. Dipl. Mog.* Tom. III. pag. 634. Serarii *res Mogunt.*

(*r*) Gudenus pag. 623.

(*s*) Herrgott *Genealog. Diplom. Gentis Austr.* Tom. III. pag. 776.

Digitized by Google

riari, Cæsaris cognitioni litem reservavit. Idem quoque egit Rupertus junior Elector, senioris filius, qui sententia A. 1398. Bruchsaliæ data, declaravit, Bernhardum coram nullo alio, quam Cæsaris, Francofurtum, Heidelbergam vel alio ad Rhenum venientis, tribunali, a Spirensibus convehiri debere. His autem Wenceslaus Francofurti privilegium, de hominibus quibuscunque in gremium civitatis suæ recipiendis, eodem anno confirmavit, ita tamen, ut intra annale tempus homines proprios vindicandi Dominis salva esset potestas. (t)

§. XVII.

Pacta cum Eberfteinenfibus.

A. 1399. die Lunæ post Dominicam Lætare, Bernhardus cum Comitibus Ebersteinensibus, Bernhardo & Wilhelmo fratribus, conventionem de dividendis, quæ in monasteria Reichenbach & Albam Dominorum utrisque competebant juribus, inivit. (u)

Die insequenti de modo administrandæ Advocatiæ monasterii Albæ Feminarum cum iisdem Comitibus transegit. (x) Margaretha Abbatissa, Ebersteinensium amita, cum monialium conventu, Marchionem & Comites eorumque successores, acceptis

(t) LEHMANN. *in Chron. Spirensi* Lib. VII. Cap. 71. pag. 769. & WENCKER *de Pfalburgeris* pag. 42.

(u) Conventio hæc indicatur in scripto Bada-Badensium contra Abbatissam & Conventum Albæ fœminarum, supra ad A. 1396. allegato, pag. 138.

(x) Transactio hæc legitur ibidem pag. 102.

Digitized by Google

nonnullis privilegiis, perpetuos Advocatos agnovit; publice professa, sine eorum consensu, neque præbendas augere, neque res & jura monasterii oppignerare aut vendere, neque ære alieno illud onerare se posse. Ad rationes etiam Marchioni & Comitibus quotannis reddendas, prioribus Advocatiæ literis abolitis, sese obstrinxit. (*y*)

Eodem anno die Jacobi Bernhardus cum Comitibus Eberfteinii, de litibus ratione banni ferini per Comitatum, amice convenit. (*z*)

§. XVIII.

A. 1401. Bernhardus ad Rupertum Palatinum, Wenceslai Regis nuper depositi, successorem Moguntiæ hærentem, misit legatos, qui de investitura cum eo agerent. Rupertus diem Marchioni constituit; quo Heidelbergæ eum se investiturum promisit. Ceremonia die Martis post D. Jacobi solenni more peracta est. (*a*) At literarum, a Wenceslao datarum, confirmationem constanter denegavit Rupertus; easque peculiari diplomate, eodem

Investitura Ruperti I. Imper.

(*y*) Literæ hæ reversales Abbatissæ & Conventus Albæ Feminarum extant in citato scripto pag. 104.

(*z*) Vid. Script. allegat. pag. 330.

(*a*) Literas investituræ, ex Tabulario Palatino depromtas, Codici Diplomatico inseruimus.

Digitized by Google

anno & die dato, irritas declaravit. (*b*) Perpetuarum cum Ruperto Imperatore litium Marchionis origo.

§. XIX.

Fœdus cum Aurelianensium Duce.

Eodem certe anno Italicam expeditionem quo susceperat Rupertus, Galeacium Mediolanensi ut ejiceret Ducatu; Bernhardus non modo non abrogavit vectigalia, quæ Wenceslai liberalitate ad Rhenum acceperat, sed & cum Ludovico Aurelianensium Duce, Caroli VI. Galliæ Regis fratre, qui A. 1389. Valentinam, Johannis Galeacii filiam, in matrimonium duxerat, contra Rupertum inivit consilia.

Ludovicus Wenceslao, deposito Cæsari, at hereditario Bohemiæ Regi, amicitia junctus, (*c*) Germanico solio eum restituere voluisset, si fuisset potentior. Jodocus, Moraviæ Marchio, cum indigeret pecunia, Luxemburgicum Ducatum, consentiente Wenceslao, iisdem conditionibus, quibus a Wenceslao fratre eum acceperat, Ludovico Duci concessit. (*d*) Ludovicus mense Septembri ejusdem anni Luxemburgum contendens, obvium habuit Bernhardum Marchionem, qui eum una cum Lo-

(*b*) Chartam hanc ex Tabulario Palatino exhibemus. Add. Diarium Mscpt. ad vitam Ruperti Regis Rom.

(*c*) WINDECK *Histor. Sigismundi Imp.* Cap. 13. apud MENCKEN Tomo I. scriptor.

(*d*) BERTHOLET *Histoire du Duché de Luxembourg* Tom. VII. pag. 160. &

Digitized by Google

tharingiæ Duce, aliisque principibus Luxemburgum comitatus est. (*e*)

Ludovicus cum Bernhardo fœdus contra Rupertum inivit; Bernhardo privilegia, a Wenceslao collata, retinere, Ludovico, Mediolanensem Ducatum Johanni Galeacio, socero suo, conservare cupientibus. Conventum, ut Ludovicus copias adduceret Marchioni, quibus Rupertum Palatinum, tum Imperatorem aggrederentur. (*f*) Ludovicus annuam bis mille aureorum (*g*) pensionem Marchioni ad dies vitæ promisit. (*h*) Errant, qui Marchionem Ludovici vasallum fuisse scribunt. (*i*) Prodigus Princeps, Carolo VI. Galliæ Rege mente capto, perpetuis cum Burgundiæ Duce turbis ob regimen implicitus, Germanicis rebus se haud diu immiscuit.

190. SAN MARTHANI fratres *hist. genealog. de la Maison de France* Tom. I. pag. 574. & Auctor Anonymus histor. Caroli VI. pag. 452. Ludovicus Gubernatorem Ducatus Luxemb. se vocat in Chartis apud BERTHOLETUM. Add. BROWERUS *Annal. Trevir.* Tom. II. pag. 251.

(*e*) REMBOLDUS SLECHT, Canonicus Argent. D. Petri Jun. *in Chron. Mscpt.* ad A. 1402. Chronicon hoc dabimus inter Scriptores Rerum Alsaticar. Add. Auctor histor. Caroli VI. loc. alleg.

(*f*) REMBOLDUS SLECHT loc. alleg.

(*g*) Pistolet.

(*h*) Tabular. Bada-Badense.

(*i*) WENCKER. *in Apparatu Archiv.* pag. 294. & *in Collectan. Archiv.* pag. 405.

Digitized by Google

§. XX.

Bellum cum Ruperto Imp.

Cæſar, poſt infelicem Italicam expeditionem in Germaniam redux, repetitis mandatis Marchioni injunxit, ut a ſocietate cum Aurelianenſium Duce diſcederet, atque vectigalia abrogaret ad Rhenum Bernhardus, datis ad Rupertum literis, de ſingulari in eum ſtudio multa præfatus, adverſus Imperatorem vel Imperium ſe nihil machinatum, Aurelianenſium Duci vero fidem, ſalvo ſemper & excepto Germaniæ Rege, ſe obſtrinxiſſe oſtendit, eaque de re ad Electorum Principumque provocavit judicium. De cetero Cæſarem ad amicum Bruchſaliæ Martio menſe invitavit colloquium. Miſſi ab utraque parte conciliatores; qui cum re infecta diſceſſiſſent, Rupertus vicinos Principes adverſus Marchionem concitavit in bellum.

Ipſe irruptione in inferiorem Marchionatum facta, Mühlbergam obſidione cinxit. Advocatus autem Imperii per Alſatiam, adjunctis ſibi Argentinenſi Epiſcopo & Lichtenbergæ Dynaſta, ſuperiorem Marchionatum aggreſſus eſt. Wirtembergæ Comes terras ſibi propiores bello vaſtavit. Baſilienſes cum Civitatibus Imperii Alſaticis (k) & Rapoltſteinenſi Dynaſta, Ge-

(k) Literas Argentinenſium hac ſuper re ad civitatem Metenſem exhibet Wenckerus *in Collectaneis Archiv.* pag. 405. add. *Trithem. Chron. Hirſaug.* ad A. 1402.

Digitized by Google

mariam in poteſtatem ſuam redegerunt. Staffordia quoque, Muckenſturm, aliaque caſtra a fœderatis occupata. Monaſterium Albæ Dominorum in bello hoc flammis deletum. Rupertus menſe Majo A. 1403. Abbati & Conventui Albæ Dominorum injunxit, ut muris, turribus & foſſa monaſterium cingerent. (*l*)

§. XXI.

Transactio cum eodem.

Paulo ante Bernhardus, Friderici Colonienſis Archiepiſcopi, Friderici Epiſcopi Ultrajectni & Simonis Spanheimenſis Comitis opera, cum Cæſare redierat in gratiam, resque Wormatiæ (*m*) fuerat transacta: Cæſar omnia Bernhardi jura atque privilegia novo firmaret diplomate, ejusque filiabus jus ſuccedendi defectu filiorum tribueret: (*n*) Staffordiæ caſtrum Cæſar redderet Marchioni, qui damno Cæſari id non futurum ſuis caveat literis: (*o*) dimidia Gemariæ pars ad Marchionem rediret; isque pacem Caſtrenſem cum Maximino, Rapoltſteinenſi Dynaſta, juraret: de vectigalibus ad Rhenum; de Monaſterio Albæ Feminarum, ex ſententia trium Rhenenſium Electorum Cæſar ſtatueret: poſſeſſio vectigalium interea conſervaretur Marchioni.

(*l*) BESOLDUS *monument. Wirtemb.* pag. 171.

(*m*) Die Saturni poſt Walpurgis. Sententiam hanc arbitralem ex Tabulario Palatino exhibemus.

(*n*) Duo hæc diplomata eodem die Marchioni tradita fuerunt.

(*o*) Literæ hæ, uti & priora diplomata in Electorali Tabulario Palatino ſervantur.

Digitized by Google

Vix transactio hæc fuerat inita, quum novæ Cæsarem inter & Marchionem lites orirentur, super quas D. Martini festo compromissum in arbitros, quibus Castrensis quoque Gemariæ Pacis, inter Marchionem & Rapoltsteinensem Dynastam tractandæ, delata est cura. Reinhardo Sickingensi, Advocato provinciali Alsatiæ, commissa Gemariæ divisio; at reluendi jus Dynastæ Rapoltsteinensi servatum. (*p*) Ita inter Cæsarem & Marchionem restituta concordia, brevi duratura.

Privilegium fori.

Cæsar A. 1404. privilegium fori vasallis & subditis Bernhardi Marchionis concessit, ne ad alia, quam ejus judicia, excepto denegatæ justitiæ casu, traherentur. (*q*)

Eodem anno Bernhardum inter & Goldelinum quendam exortæ sunt lites, quibus componendis Imperator Fridericum Schenckium, Limburgensem Dynastam, arbitrum nominavit. Bernhardus liter[illegible]a Goldelino productas, falsitatis arguit. Limburgensis, rei difficultatem sentiens, eam ad Imperatoris cognitionem remisit; qui sententia hoc anno die Martis post festum Pentecostes data, literas illas suspectas, adversus Marchionem nunquam allegandas, rejecit. (*r*)

§. XXII.

(*p*) Transactio in Electorali Tabulario Palatino extat.

(*q*) Charta hæc in eodem Tabulario servatur.

(*r*) WENCKER. *Collect. Archivi* pag. 157.

Digitized by Google

§. XXII.

Foedus Marbacense contra Rupertum Imp.

Insequenti tempore Bernhardus in novas cum Ruperto Imperatore incidit lites, concitante Moguntino Electore, multis ex causis Imperatori infenso. Occasio hinc nata fœderi, quod Johannes Moguntinus, Bernhardus Marchio, Eberhardus Wirtembergæ Comes, cum Civitate Argentinensi & plerisque Sueviæ Civitatibus in quinquennium iniverunt Marbaci, die S. Crucis A. 1405. (s)

Fœderi Moguntia, Spira, Wormatia (t) aliæque Civitates accesserunt & socii. Exceptus quidem in fœdere Rupertus Imperator, sed addita conditione, ut fœderatorum jura conservaret, neque in terris hominibus aut bonis ullo modo eis damnum inferret. Quodsi violaretur conditio, adversus Regem ceterosque omnes, fœdere non comprehensos, opem sibi invicem socii & auxilium promiserunt. Bernhardus sex hastiferos se missurum promisit; sed Ludovicum, Johannem, Stephanum & Ottonem, Palatinos Comites, speciatim excepit. Ipse cum Moguntino Electore & Wirtembergico Comite, literis Marbaci datis, de fœdere ejusque conditionibus Cæsarem reddidit certiorem. (u)

(s) Tabulas fœderis exhibet LEHMANNUS Lib. VII. Cap. 75. pag. 780.

(t) IDEM l. cit. & Archiv. Argent.

(u) WENCKER. *in Apparat. Archiv.* pag. 286.

Digitized by Google

§. XXIII.

Cæsaris de eo dissolvendo consilia.

Rupertus timens, ne fœderati ad Regis depositi partes reverterentur, dissolvendo, quod sine ipsius consensu initum, fœderi, Moguntiam in diem undecim mille virginum A. 1405. conventum indixit; (x) ad quem speciatim Moguntinum Electorem & cum Bernhardo Marchione Wirtenbergicum Comitem, ceterosque fœderis socios, evocavit. Per nuncios modo comparuerunt fœderati. Rupertus ergo consilio cum proceribus, qui convenerant, habito, ad alium diem fœderatos Moguntiam in festum Epiphaniæ A. 1446. convocavit, ubi ipsos coram adesse jussit, ut de negotiis Imperii cum illis conferret, eorumque gravamina dilueret. Imperatori a fœderatis nunciatum, nihil se habere, quod in Comitiis de Rege querantur. Particulares, quæ singulis cum eo intercederent, controversias, non in conventibus publicis, sed in privatis tractandas. Marbacense autem fœdus, neque Imperatori neque Imperio adversum; sed publicæ tranquillitati servandæ a Principibus & Civitatibus initum, frustra impugnari. Imperator tamen Principes in Comitiis præsentes esse volebat; certos eos esse jubens, omnia in illis amice tractanda. Principes denique ad proximum conventum, Moguntiæ habendum, venturos se polliciti sunt.

(x) Conf. *Anbringen Kayser Ruprechts Abgesandten bey den Reichsstædten von wegen des Marbachischen Bunds* apud WENCKER. loc. cit. pag. 276. sqq.

§. XXIV.

Constituto die, præter Marbacenses socios, (y) frequentes aderant Principes & Civitatum legati. Imperator inter alia de Moguntino, de Marchione Badensi & Wirtembergico Comite, multum conquestus est, quod in literis, ad eum datis, violatorum jurium privilegiorumque eum incusassent. Petiit, ut exponerentur gravamina, paratum se publice ad ea respondere, ut omnes, injuriam sibi fieri, intelligant. Fœdus autem, inter Civitates & Principes, ut aboleretur, pertendit. Fœderati, non discessuri a fœdere, neque de litibus cum Imperatore in Comitiis disputaturi, in sententia perstiterunt. Denique Moguntinus Præsul & Marchio Bernhardus, longam seriem gravaminum adversus Regem exhibuerunt, ad quæ ille in pleno ordinum consessu respondit, & sua quoque contra Moguntinum & Badensem gravamina protulit, (z) voluitque, ut omnia in proximis Comitiis

Conventus Mogunt. inter Cæsarem & fœderatos.

(y) Archiepiscopus Moguntinus, Marchio Badensis, Wirtembergiæ Comes, & fœderatarum quarundam Civitatum legati ad conventum hunc cum octingentis equis venerunt. vid. Remboldus Slecht ad A. 1406.

(z) Mutuæ hæ inter Cæsarem & Bernhardum querelæ de Rheni vectigalibus, de monasteriis Herrenalb, Frauenalb, Herde, Bure, Marienthale, eorumque juribus, de hominibus propriis, aliisque minoris momenti negotiis, indicantur in Compromisso Cæsaris & Marchionis in Fridericum Colon. Archiepisc. quod ex Tabulario Palatino exhibemus ad A. 1407.

Digitized by Google

BERNH. I.

Principum componerentur arbitrio. (*a*) Repudiata a fœderatis conditio, quibus Cæſaris ſuſpecta fuit in Comitiis auctoritas; unde Principes diſceſſerunt Moguntia. Quin & alii duo Conventus, Spiræ & Andernaci eodem anno habiti, caruerunt effectu. (*b*)

Mutua hæc Cæſarem inter & Principes odia non impediverunt, quo minus Bernhardo Marchioni, literis datis, permitteret, ut Annæ Oettingenſi, conjugi ſuæ, in terris Marchicis dotalitium conſtitueret. (*c*)

§. XXV.

Cæſaris cum Marchione transactio.

Dubiis his rebus Cæſar fœderatas tentaturus Civitates, A. 1407. Ulmam miſit legatos, qui eas a Principum abducerent fœdere, & in ſuas pertraherent partes. Nihilominus in dies aucta fuit Principum & Civitatum confœderatio. Lites tamen Bernhardi noſtri cum Cæſare A. 1407. Friderici Colonienſis arbitrio terminatæ ſunt, ac in fœdus cum Ruperto converſæ. Inter alia ſtatutum, Albæ Dominorum monaſterii bona & jura ut relinquerentur intacta. (*d*) Confirmatæ quoque tum literæ debiti mille mar-

(*a*) WENCKERUS pag. 285. Catalogum Principum exhibet, quibus cauſæ hujus cognitio ab Imperatore committebatur.

(*b*) REMBOLDUS SLECHT ad A. 1406.

(*c*) Extat Diploma in Tabulario Palatino.

(*d*) Conf. literæ Ruperti Imp. ad Abbatem & Conventum monaſterii Albæ Dominorum A. 1408. die S. Petri ad Cathedram datæ apud BESOLDUM *Monum. Wirtemb.* pag. 171.

Digitized by Google

carum argenti, a Carolo IV. Imperatore, propter præstita officia & damna perpessa, Rudolpho quondam Marchioni in Selzense vectigal concessæ. Addita conditio, ne vivo Ruperto exigeretur pecunia. (e)

Nemo ergo mirabitur, Cæsarem in fœdere, quod ipse & Ludovicus, Comes Palatinus, cum Argentinensibus aliisque Civitatibus Alsaticis A. 1408. contra hostes pepigerant, excepisse Bernhardum; (f) qui cum Ruperti filiis quoque vixit amice. Otto, Palatinus Comes, in pactione cum Eslingensibus A. 1418. inita, Bernhardum excepit, (g) quod simili in casu ante decennium quoque fecerat Rupertus.

§. XXVI.

Bellum Austriacum.

In Marbacensi fœdere tamen Marchio perstitit. Ille enim cum Johanne Moguntino, Eberhardo Wirtembergico, & Civitatibus sociis, ob damna quædam illata, Friderico, Austriæ Duci, bellum indixit; (h) quo durante, pleraque Marchionatus Burgoviensis Castra occupavit Bernhardus. Nec silentio transeundum,

M 3

(e) Literæ hac super re confectæ in Tabulario Elect. Palatino servantur.

(f) Wencker. *Continuat. de Ußburgeris* pag. 17.

(g) Datt *de pace publica* Lib. I. Cap. 12. pag. 86.

(h) Herzog. *Chron. Alsat.* Lib. VIII. Cap. 28. pag. 135.

Digitized by Google

quod intuitu Hohenbergensis Austriacæ ditionis, cum Ruperto Imperatore tum iniverit inducias. (*i*)

Res denique A. 1410. Wirtembergici Comitis & Nobilium Sancti Georgii societatis interventu composita est, ut Bernhardus, acceptis pro sumtibus belli 18000. florenis, loca occupata, una cum captivis, restitueret Austrio; qui Civitatibus magnam pecuniæ summam pro illatis damnis promisit; quam cum non habuisset paratam, Hohenbergæ Dynastiam Civitatibus oppigneravit, quæ ab Alberto, Austriæ Duce, A. 1451. Austriacis denuo terris adjecta. (*k*)

Iter Marchionis Lutetiam Parisiorum.

Inter hæc Amedeus, Saræpontis Comes, Commercii Dominus, in bello contra Comitem Sarwerdæ, A. 1409. multos inter Nobiles, Ludemannum quoque, Lichtenbergæ Dynastam, Bernhardi nostri generum, captivum abduxit. Libertati hunc ut restitueret socer, cum Ludovico Palatino & Episcopo Argentinensi Metas primum, inde Lutetiam Parisiorum profectus est, inter-

---

(*i*) Charta Heilbronnæ feria 6. ante Dominicam Palmar. data, in Tabulario Palatino servatur. Elisabetha Ruperti Imp. filia, Friderico Austriaco fuerat nupta. Rupertus filiæ defunctæ heres, jus habebat in Dynastiam Hohenberg, ratione donationis propter nuptias & sponsalitiæ largitatis; quæ filiæ debebatur.

(*k*) FUGGER *Oesterreichischer Ehrenspiegel* Lib. IV. Cap. 3. pag. 411. & Lib. V. Cap. 10. p. 617. & BURGEMEISTER *Thesaurus Juris Equestris* Tom. I. pag. 516. ubi tamen nonnisi 7074. flor. Marchioni obtigisse perscribit.

Digitized by Google

veniente Carolo VI. Rege, ut liberarentur captivi. Res denique Cardinalis Barrensis interventu composita. Captivi, ingenti lytro soluto, liberati. (*l*)

§. XXVII.

Electio Sigismundi Imp.

Cæsare Ruperto, inter turbas has mortuo, (*m*) Marbacense concidit fœdus. (*n*) Successorem Ruperto Electores quidam substituere Jodocum; quo paucos quoque post menses mortuo, novam electionem A. 1411. Francofurti Archi-Principes susceperunt.

Bernhardus noster cum Ernesto, Comite Palatino Rheni Duceque Bavariæ, & Johanne, Norimb. Burggravio, Wenceslai, Bohemiæ Regis, vices peregit, (*o*) atque cum ceteris Electoribus

(*l*) REMBOLDUS SLECHT *in Chron.* ad A. 1409. & CALMET *Notice de la Lorraine* Tom. I. Art. Commercy pag. 258.

(*m*) A. 1410.

(*n*) WENCKERUS pag. 289.

(*o*) Conf. Literæ Wenceslai ad Johannem Moguntinum & Fridericum Coloniensem Archiepiscopum, die Saturni ante festum Trinitatis, A. 1411. scriptæ apud GUDENUM *Cod. Diplom. Mog.* Tom. IV. pag. 85. ex quibus apparet, Wenceslaum Regem Præsulum horum literis inductum sibi persuasisse, fore, ut in nova electione, ipsius iterum ratio habeatur. Scribit enim: „ Eure Brieve und Botschaft . . . . . han Wir wol „ verstanden, und die williclichen ufgenommen, und auch uss den „ nit anders erkennt, dann dass Ir unser Erhebunge und Wirdigunge „ des Heil. Röm. Reichs meinet und wollet.„

Digitized by Google

BERNH. I.

Sigismundi electionem Statibus Imperii & speciatim Argentinensibus die 21. Julii significavit. (p)

Eodem anno Hornekio ab Hornberg & sociis arma intulit Bernhardus. Argentinenses debita ei ex fœdere cum negassent auxilia, civium quorundam illius urbis bona, jure naufragii, a quo Argentinenses Cæsarum privilegio immunes sunt, Beinhemii occupavit, aliaque illis intulit damna. Rudolphus Hachberga Sausenbergicus Marchio partium consensu electus est arbiter, qui ex æquo & bono litem decidit. (q)

§. XXVIII.

Bellum Lothar.

A. 1412. Barrensis Dux Caroli Lotharingiæ Ducis, vicini sui, terras invasit. Bernhardus, pro Lotharingo stans, consilio suo impedivit & manu, in pugna ne fugerent Lotharingi. Et tamen de Germanorum virtute contemptim locuti sunt Barrenses. Bernhardus ad eos misit fecialem, qui ad singulare eos invitaret certamen, addita conditione, ut Dominus contra Dominum, servus

(p) WENCKER. *Apparat. Archiv.* pag. 307.

(q) Instrumentum, quo Rudolphi arbitrio hæc controversia delata est die Veneris post festum nativitatis Mariæ A. 1411. datum, in Tabulario Argent. servatur.

Digitized by Google

ſervus contra ſervum, & calo contra calonem pugnaret. Diffidatio facta eſt; pugna tamen non habuit locum. (*r*)

A. 1414. Bernhardus una cum Bavariæ & Lotharingiæ Ducibus & Marchione Rœtelenſi aliisque Principibus, Sigismundum Imperatorem Argentinam ſecutus eſt. (*s*) Idem anni inſequentis initio, cum Johanne Moguntino & quingentis equis, Concilii viſendi gratia, Conſtantiam acceſſit. (*t*) Ibi Johannes XXIII. Pontifex, fugam meditatus, Bernhardum ſibi devincturus Marchionem, diplomate IV. Kal. Febr. dato, ſummam ſedecim millium florenorum auri de camera, ex proventibus Apoſtolicis, per Moguntinam, Trevirenſem & Colonienſem diœceſes, præmii loco ei aſſignavit, *quod nubiloſo ſchismatis tempore magna propriæ perſonæ ſuæ pericula & rerum diſpendia, nec non expenſarum onera, pro Pontifice & Romana Eccleſia diverſimode ſpontanee ſubierit.* (*u*) Pontifex denique, menſe Martio, a Fri- Concil. Conſtant.

Tom. II. N

(*r*) In hoc bello Bernhardus Bleſenſem illum cepit Dynaſtam, (Seigneur de Blois) de quo redimendo Henricum, Angliæ Regem, cum Marchione noſtro tractaſſe ſcribit RAPIN THOYRAS *Hiſtoire d'Angleterre* Tom. III. Liv. XI. pag. 506.

(*s*) KOENIGSHOV. Cap. 3. §. 236.

(*t*) REMBOLD SLECHT *Mſcpt.* ad A. 1415. HERZOG. *Chron. Alſat.* Lib. V. pag. 281. HERMANN. VON DER HARDT *Acta Conc. Conſt.* Tom. V. Part. VII. pag. 33.

(*u*) Diploma exhibet HARDTIUS loco citato Tom. II. Part. IX.

Digitized by Google

BERNH. I.

derico Austriæ Duce, adjutus, cum fugisset Constantia, Sigismundus Imperator in Concilio Fridericum A. 1415. mense Aprili proscripsit, atque vicinos ejus, speciatim Helvetios, terras ejus ut invaderent, invitavit. (x)

§. XXIX.

Præfectura Civitatum Brisgoviæ.

Tum vero Brisacum, Friburgum, Neuenburgum, Endinga, Kentzinga, Austriacæ Civitates Brisgoviæ, cum adjacentibus vicis & terris, in potestatem Imperatoris venerunt. Hic Præfecturam earum detulit Marchioni Bernhardo, qui ipse in Brisgovia potens terrarum, ultra decennium eam fortiter & prudenter administravit. (y)

Austrius quidem intercessione præsertim Ludovici, Bavariæ Ducis, & Friderici, Burggravii Noribergæ, eodem A. 1415. fuit reconciliatus cum Cæsare, in cujus manus terras suas resignaverat omnes. At A. 1416. iterum Constantia profugus, a Sigismundo iterum proscriptus est; nonnisi A. 1418. denuo reci-

pag. 148. sed nomen Marchionis male scribens, Bernhardi loco, nomen posuit Burchardi.

(x) Literæ Sigismundi, mense Majo A. 1415. datæ, extant apud HARDTIUM Tom. IV. Part. I. pag. 162. & *in Oesterreichischer Beantwortung der dem Chur-Hauß Bayern zustehenden Erbfolg zweyten Absatz* §. 9. pag. 67.

(y) ALSAT. ILLUSTR. Tom. II. pag. 597.

Digitized by Google

piendus in gratiam, Martino V. Papa promovente. (z) Sigismundus enim d. 4. Jun. A. 1418. (a) Bernhardo mandaverat, Brisgovicas Civitates jurejurando, quod Cæsari & Imperio præstiterant, ut liberaret, ac præscriptis conditionibus restitueret Friderico; simul tamen ei injunctum, ne Civitatibus, ad Friderici obsequium redire recusantibus, vim ullam inferret; quoniam pacis formula cautum, ut Civitatibus liberum esset, in Cæsaris & Imperii fide manere. Causa hæc, ob quam in Cæsarea Præfectura Brisgoviæ, ad initium A. 1426. usque perstitit Bernhardus. (b) Finitis sa-

(z) Diploma 12. Maji A. 1418. datum exhibet TSCHUDIUS *Chron. Helvet.* Part. II. Lib. IX. pag. 97. HARDTIUS Tom. IV. pag. 1581.

(a) Literæ hæ extant *in Oesterreichischer Beantwortung &c.* loc. alleg.

(b) Sigismundus in literis ad Bernhardum nostrum, A. 1422. datis, apud WENCKER. *Continuat. de Ussburgeris* pag. 68. de Civitatibus Brisgoviæ, tanquam liberis Imperii Civitatibus loquitur, earumque Præfectum appellat eundem. In harum Civitatum cum Alsaticis & cum Ludovico Palatino pactione A. 1423. hæc leguntur: „ So nement wir die obge-
„ nannte Stette im Brissgowe insunders uss unsre gnedige herrschaft
„ von Oesterrich mit sollichen fürworten und Gedinge, ob wir alle,
„ oder unser Stette deheine wieder zu derselben unser gnedigen herr-
„ schaft von Oesterrich handen komment, und Inen gehuldent und ge-
„ schwerent, alsdann sollent sie ussgenomen sin, so verr unser jegli-
„ che statt unter uns das berüret und anders nit. Wir nement auch

BERNH. I.

ne hoc anno, Sigismundum inter & Fridericum difficultatibus, Bernhardus, novo Cæsaris mandato Januarii mensis, (c) a jurejurando, quo Imperio fuerant obstrictæ, Civitates absolvit, atque ad Friderici Austriaci imperium eas jussit reverti; qui per Eberhardum Kirchbergium & Guilielmum Montfortium eas paulo post in fidem recepit. (d)

§. XXX.

Acquisitio Marchionatus Hachberg.

Inter hæc Bernhardus A. 1415. die Sancti Jacobi Hachbergam & Hohingam, Usenbergicum Castrum (e) prope Brisacum, ab Ottone III. Hachberga-Hachbergensium Marchionum postremo, pro 80. mille Rheni florenis emit. (f) Pro simili summa a Sigismundo, Austriæ Duce, Alsatiam & Brisgoviam Austriacam A. 1469. reluitionis pacto coëmit Carolus Burgundiæ Dux; cujus nomine Rudolphus Sausenberga - Rœtelanus

„ uss unser herrn den landvogt, so verr das das Riche antreffend ist
„ ane Geverde. vid. infra ad A. 1423.

(c) Sigismundi & Bernhardi literas vide *in Oesterreich. Beantwort.* pag. 68.

(d) ROO *Historia Austr.* pag. 165. & FUGGER *Oesterreichischer Ehrenspiegel* Lib. IV. Cap. 7. pag. 445.

(e) *Unsere Herschafte ganz zu Hochberg und zu Hohingen.* Castro Usenbergæ destructo, Dynastia Usenbergica appellari cœpit Dynastia Hohingæ, quod Castrum hoc Dynastiæ caput evasit.

(f) Præter hanc summam solutam, solvit etiam Bernhardus debita Ottonis.

Digitized by Google

Marchio, terras has in fidem recepit. (*g*) Rudolphus hic Marchionatus Hachbergici emtionem recuſaverat; conſentiens, ut ab Ottone eum Bernhardus acquireret. (*h*) Quinquennio poſt Agatha, Heſſonis Dynaſtæ in Uſenberg filia, monaſterii S. Margarethæ prope Waldkirch monialis, juri ſuo in Uſenbergicam & Hœhingenſem Dynaſtias, annua 30. florenorum penſione accepta, renunciavit. (*i*)

§. XXXI.

Lites Argentinenſium cum Epiſcopo.

A. 1416. Bernhardus cum Archiepiſcopo Moguntino venit Argentoratum, Epiſcopum inter & Civitatem Argentinenſem compoſiturus litem, quæ jam eo devenerat, ut hujus urbis Senatus, communicatis cum Capitulo conſiliis, Wilhelmum Epiſcopum, Molshemii captum, in ſua urbe cuſtodiret; quod Eccleſiæ ſuæ bona diſſiparet; ſpeciatim, quod Præfecturam Ortenaviæ Epiſcopatui Argent. oppigneratam, Ruperto Palatino Electori vendiderat, quodque Tabernas Alſaticas Lotharingiæ Duci venditurus credebatur. Marchio cum Præſule, re infecta diſceſſit. (*k*)

N 3

(*g*) URSTISII *Chron. Baſil.* Lib. VI. Cap. 4. pag. 433.

(*h*) Primus inter teſtes ſignavit Rudolphus Marchio Sauſenbergæ.

(*i*) Vid. Documenta.

(*k*) *Chron. Mſcptum* SEBASTIANI MUEGII pag. 85. & Paraleipomena Urſperg. pag. 283. add. WENCKER. *de Uſſburgeris* pag. 223. ſqq.

Digitized by Google

Ad Concilium Conſtantienſe denique res fuit delata. (*l*) Argentinenſes, a Patribus interdicto ſubjecti, Sigismundo Imperatori magno ære ſoluto, initaque cum Epiſcopo tranſactione amica, in Concilii gratiam redierunt.

§. XXXII.

Acta cum Sigismundo Imp.

Imperatorem A. 1417. Conſtantiæ inviſit Bernhardus, ibique erectionis Cliviæ in Ducatum Diploma inter Principes ſignavit. (*m*)

Anno ſequenti cum eodem Bernhardo Sigismundus de annua 2000. florenorum, & quotidiana, ſi extra terras ſuas pro Imperatore ageret, penſione convenit. Eodem anno Martinus V. Sigismundo permiſit, ut ex Eccleſiis Imperii Germanici colligeret decimas. Bernhardus pro Imperatore eas in Conſtantienſi, Baſilienſi, Argentinenſi, Spirenſi, Moguntina, Tullenſi & Virodunenſi Eccleſiis collegit. A. 1422. expenſorum & acceptorum cum redderet rationem, expenſorum pro Cæſare ſumma tredecim mille florenos ſuperavit accepta.

§. XXXIII.

Marchio Judex delega-

A. 1418. memorabilis illa Ludovicum inter, Landgravium Haſſiæ, & Buſeckianæ Vallis Ganerbios nobiles de ſuperio-

(*l*) VON DER HARDT *Acta Concil. Conſtant.* Tom. IV. pag. 551.

(*m*) TESCHENMACHERI *Annales Cliviæ Cod. Diplom.* pag. 81.

Digitized by Google

ritate controversia vertebatur. Hermanno, Ludovici Patri, Wenceslaus Romanorum Rex, Charta Francofurti A. 1398. data, hos Nobiles subjecerat. Paulo post (*n*) Betleriæ Literas suas ipse revocaverat Wenceslaus. Revocationem Sigismundus Romanorum Rex A. 1414. Spiræ (*o*) firmavit. Ludovicus Hassus tamen jus, quod habere se credidit, non destitit persequi. Sigismundus ergo rem omnem denuo Principum submisit judicio.

tus a Cæsare.

Delegatus a Cæsare judex Bernhardus die S. Petri indixit Judicium. Judices assessores fuerunt quatuor Ecclesiastici, Georgius Passaviensis Episcopus, Cancellarius Regis, Guilielmus Argentin. Episcopus, Johannes Weissenburgensis Abbas, Johannes Abbas Selsensis, & quatuor seculares, Ludovicus, Comes Palatinus Rheni, Carolus Lotharingiæ Dux, Otto Comes Palatinus Rheni, Bernhardus Saxoniæ Dux. Regis autem Advocatus fuerat Ludovicus, Comes Oetingæ.

Decretum unanimi sententia Judicum, Buseckianos Ganerbios Imperatori sine medio subesse. (*p*)

(*n*) Die Mercurii post Omnium Sanctorum ejusdem anni.

(*o*) Die Veneris post D. Jacobum.

(*p*) Instrum. hujus Judicii extat in libro, cui Tit. *Memoriale der Hessischen Gesandtschaft an die Reichsversammlung zu Regenspurg* A. 1707. inter probationes pag. 99.

§. XXXIV.

Bernhardi acta varia.

Civitatem Colonienſem, ob diſſidia inteſtina, A. 1419. obſidione quum cinxiſſent Electores ad Rhenum, Bernhardi Marchionis & Electoris Brandeburgici interventu tempeſtas ſedata eſt. (q)

Redemptionem Zaringiæ Caſtri Sigismundus Imp. cum omnibus, quæ ad id pertinerent, Bernhardo noſtro ſingulari diplomate, Wratislaviæ A 1420. Dominica Lætare conceſſit; (r) eodemque anno Bernhardus, paucis ante Pentecoſten diebus, inter Civitatem Argent. & Nobiles de Bulach, de Wangen, de Müllnheim, aliosque litem ſua ſententia decidit. (s)

Dynaſtiam Grævenſteinenſem, antiquiſſimum familiæ Leiningenſis allodium, quod a Leiningenſibus titulo pignoris ad Palatinos Electores, ab iisque ad Spanheimenſes pervenerat Comites, a Johanne Spanheimenſi Comite tum coëmit Bernhardus, ſalva Fridericianæ Leiningenſium lineæ reluendi poteſtate. At anno ſequenti eandem Dynaſtiam Emiconi Leiningenſi Comiti, genero, oppigneravit pro 8000. flor. quos in dotem ei promiſerat. (t)

§. XXXV.

(q) WINDECK *Hiſtor. Sigismundi Imp.* Cap. 76.
(r) Vid. Documenta.
(s) Archiv. Argent.
(t) Archiv. Bada- Badenſe.

Digitized by Google

§. XXXV.

Pacta cum Duce de Urslingen.

A. 1421. Duci Reinoldo de Urslingen (u) dimidiam partem castri & oppidi Gemar, pignus Rappoltsteinense, præstitæ fidei operæque præmio ad dies vitæ concessit, ejusque in locum, si forte redimeretur, trecentos quotannis florenos se daturum promisit. Reinoldus vicissim & Anna de Usenberg Bernhardo jus suum in Dynastiam Usenberg & castrum Hœhingen ejusque ditiones reliquerunt; quin & vicos Bischoffingen, Brockingen aliosque, ad Dynastiam Usenberg. pertinentes, eidem adscripserunt, post ipsorum obitum occupandos. Reinoldus insuper jus aperturæ in Hornberg aliisque castris suis Marchioni adversus hostes ejus promisit; exceptis Sigismundo Imp. & Comite Sulzensi, salvaque pace castrensi Hornbergæ. Acta hæc omnia & corroborata Instrumentis Badæ die Dom. quæ *Invocavit* vocatur. Triennio post die Saturni post S. Andreæ idem Reinoldus Dux, Præfecturam castri Hœhingen a Bernhardo Marchione adeptus, cum conjuge sua Anna pacta priora confirmavit.

A. 1422. Sigismundus Imp. Bernhardo Marchioni commisit, ut tertium denarium in Germania a Judæis perciperet; eidemque speciale protectorium monasterii Schwarzach, contra

(u) Reinoldus hic anno post, Comitis Zollerani socius, bellum Helvetiis in-

Ludemannum, Lichtenbergæ Dominum, concessit Noribergæ. (x)

§. XXXVI.

Bernhardus litium arbiter.

Eodem anno diuturnis Wilhelmi Episcopi cum Civitate Argentinensi litibus sopiendis, Conradus Archiepiscopus Moguntinus & Bernhardus Marchio noster electi sunt arbitri. Res Spiræ tractata atque sententia Archiepiscopi & Marchionis, die Mercurii post Quasimodogeniti, decisa. (y) Dein paucis interjectis diebus, controversiæ quoque inter Civitatem & Nobiles, qui jam A. 1419. ob varia gravamina Civitate excesserant, eorundem Principum interventu compositæ; (z) sed & utriusque auctoritate Wirichius ab Hohenberg Civitati reconciliatus, atque sublatis utrimque hostilitatibus, Wirichio sua jura reservata fuerunt. (a)

Eodem anno Bernhardus cum Stephano Palatino & Emicone Leiningensi Comite, Spirensibus, a Rhabano Episcopo ob-

tulit, sedens in castro Schiltach ad Nigram Silvam. Vid. TSCHUDII *Chron. Helvet.* Tom. II. pag. 70. & pag. 147.

(x) Extat *in Actenmæssiger Geschichts-Erzehlung Schwarzach* pag. 99. & 101.

(y) Instrument. extat *in Tabulario Argent.* unde illud deprompsit SEBAST. MUEGIUS *in Cod. Mscpt. Arg.* pag. 109. ubi & alias transactiones exhibet, inter Episcopum & Civitatem hoc tempore initas; add. WENCKER. *de Pfalburgeris* pag. 102.

(z) SCHILTER *ad Kœnigshov.* pag. 878.

(a) Tabularium Argent.

Digitized by Google

fessis, in auxilium venire decreverat. Verum sublata mox, jussu Sigismundi Imp. obsidione, res ad Comitia Norimbergæ ejusdem anni delata. Bernhardus conciliandæ cum Episcopo Civitati operam dedit, compositisque controversiis, ipse ob itinera hinc inde suscepta, 6000. flor. impensarum nomine, a Spirensibus accepit. (*b*)

§. XXXVII.

A. 1423. (*c*) Bernhardus cum Emicone Leiningensi Comite, genero, & Johanne Spanheimensi communionem eo fine iniit, ut Dynastiam Grævensteinensem, quam Emiconi ante biennium oppigneraverat Bernhardus, communi consilio & ope contra quoscunque turbatores defenderent; at Friderico Leiningensi, pignoris domino, reluitionem concederent. Societas hæc inita fuisse videtur contra Electorem Palatinum, qui de Dynastia hac cum Spanheimensi Comite tum lites alebat. Res eodem anno (*d*) transacta, jusque aperturæ in Grævenstein. Ludovico Electori assertum; qua de re Bernhardus Marchio & Emico Leiningensis Comes eidem literis caverunt. (*e*)

Acta intuitu Grævenstein.

(*b*) LEHMANNUS *Chron. Spir.* Lib. VII. Cap. 94. pag. 833.

(*c*) Die Martis post S. Martini.

(*d*) Die Veneris post S. Andreæ.

(*e*) Datæ sunt hæ literæ die Martis post festum circumcisionis A. 1424. Extant, uti & præcedentes, in Tabulario Bada-Badensi.

Digitized by Google

§. XXXVIII.

Lites cum Civitatibus Brisgoviæ.

Iisdem temporibus Bernhardo cum Civitatibus Friburgo, Brisaco, Endinga, quarum Præfectus ille nuper fuerat, (*f*) natæ sunt lites.

Gravamina Bernhardi.

Intolerabile ei visum est, subditos ipsius Hachbergenses & Usenbergicos, civium Brisgoicorum ordini adscriptos, iisdem, quibus incolæ Civitatum, juribus gaudere, turbataque Principis jurisdictione, non modo in Civitatibus ob delicta conveniri, sed & ab iisdem ad servitia quædam adstringi; (*g*) in transactione licet, quam cum Civitatibus Brisgoicis Egon Friburgi Comes & Otto Marchio Hachbergensis, post intestinum bellum A. 1368. inierant, (*h*) prospectum, ut extranei, in territorio Principum constituti, cives dimitterentur ex urbibus, nemoque in posterum ab illis reciperetur civis, nisi Domini sui impetrato consensu. Bernhardus civibus his extraneis jus civitatis abrogari, eosque, qui in urbibus consederant, sibi tradi postulavit.

§. XXXIX.

Querelæ Civitatum.

Civitates ad privilegia Imperatorum & ad antiquas Brisgoviæ consuetudines provocabant; non adversari sibi dicentes pa-

(*f*) Vid. supra ad A. 1415.

(*g*) Gravamina Bernhardi cognoscuntur ex scripto, quod A. 1424. cum Principibus Imperii communicavit, apud WENCKER. *in continuatione de Ußburgeris* pag. 64.

(*h*) Transactionem hanc exhibet WENCKER. loc. alleg. pag. 71.

Digitized by Google

cta, cum Hachbergæ Marchionibus inita, civesque suos, in Hachbergensi Dynastia habitantes, nunquam inter homines proprios Hachbergensium habuisse locum. Sed inprimis grave videbatur Civitatibus, Bernhardum, etiam post annale tempus, quod ejusmodi vindicationibus jure Germanico præfixum, jus sibi asserere in eos, qui in ipsis Civitatibus fortunarum sedem elegerant. Accessit & alia causa, quæ maxime Civitates angebat; nova nempe vectigalia, a Bernhardo per Brisgoviam passim & Mühlbergæ erecta; non Civitatibus modo, sed finitimis quoque onerosa.

Brisgovicæ ergo & Alsaticæ Civitates A. 1422. die Saturni post S. Michaelis, quinquennale contra Bernhardum fœdus inierunt, (*i*) cui anno insequenti, die Dominica post Jacobi, Ludovicus Comes Palatinus Rheni Alsatiæque Præfectus accessit. (*k*) Civitatum fœdus.

§. XL.

Sigismundus Imp. ad quem res fuit delata, Bernhardum & Civitates A. 1421. vocavit Nickelsburgum in Moravia, & anno sequenti Ratisbonam, denique Norimbergam. Quum autem, impedientibus Bohemiæ turbis, conventus hi locum non habuissent, amicæ compositionis via tentata est. Amicis conventionibus abruptis bellum geritur.

(*i*) Instrumentum hoc extat in Chartophylacio Argent.

(*k*) Novum instrumentum, quod tum confectum est, in Tabulario quoque Argent. servatur.

Digitized by Google

Colloquium Argentorati A. 1423. habitum, in quo Carolus Lotharingiæ Dux (*l*) interceſſoris munia geſſit. De pluribus articulis, ex voluntate fere Bernhardi Marchionis, transactum. Res tamen ad finem non omnino perducta. Alius ergo Conventus Wormatiam indictus, ubi præſentibus Conrado Moguntino & Ottone Trevirenſi Archi-Epiſcopis, denuo tractata controverſia, ſed irrito conatu.

Unde cum tres alii Conventus, ſub initium A. 1424. Argentorati, Wormatiæ, Moguntino & Trevirenſi interceſſoribus, habiti, quoque fuiſſent abrupti, res denique ad arma devenit; (*m*) Sigismundo Imperatore litigantes fruſtra hortante ad pacem. (*n*)

Pentecoſtali tempore A. 1424. Alſatiæ Brisgoviæque Civitates cum Ludovico Palatino, Epiſcopo Spirenſi & Wirtembergico Comite, aliisque belli ſociis, irruptionem in Marchionatum fecerunt. Raſtadium & plures vici combuſti. Mühlbergæ & Grabæ Caſtra obſeſſa, non capta. Quum enim per tres ſeptima-

(*l*) Hic tum etiam de controverſiis, quas cum Civitate Argentinenſi habuerat, intercedente Bernhardo Marchione, conſocero, amice transegit. Literæ transactionis, die Veneris poſt S. Catharinæ A. 1423. datæ, in Tabulario Argent. ſervantur.

(*m*) Singula hæc narrantur in literis fœderatorum ad Imperatorem apud WENCKER. loc. alleg. p. 85.

(*n*) Extant hæ literæ apud WENCKER. loc. alleg. pag. 83. & 84.

Digitized by Google

nas duraſſet obſidio, intercedente Dieterico Archi-Epiſcopo Colonienſi, Johanne Herbipolitano Epiſcopo & Alberto Hohenloënſi Comite, in caſtris ad Mühlbergam res transacta eſt. (o)

§. XLI.

Conditiones praecipuæ:

Transactio cum Civitatibus.

1. Marchio omnia bello ablata, una cum reditibus perceptis, Civitatibus reſtituat.

2. Liber commeatus ex unius in alterius terras obtineat, ad normam transactionis, inter Egonem Comitem Friburgi & Civitates Brisgovicas initæ A. 1368. Marchioni tamen evictio competat hominum propriorum, a die, quo Hachberg. & Uſenberg. Dynaſtias obtinuit.

3. Delicta, a ſubditis Civitatum in Marchionis ditionibus commiſſa luantur pecunia. Bona capite plexorum propter homicidia, in iisdem terris perpetrata, cognatis pro certa pecuniæ ſumma reſtituantur.

4. Actiones de bonis aut debitis, in foro domicilii aut rei ſitæ inſtituantur.

(o) Bellum hoc deſcripſerunt URSTISIUS *in Chron. Baſil.* Lib. IV. Cap. 24. REMBOLDUS SLECHT. WENCKER. loc. alleg. pag. 64. SEBAST. MUNSTER *Coſmograph.* Lib. III. pag. 809. BERNHARD. HERZOG. *Chron. Alſat.* Lib. VIII. Cap. 28. pag. 136.

Digitized by Google

BERNH.I.

5. Usburgeri Civitatum, in Dynastiis Hachberg. & Usenberg. sedentes, jura Civium amittant. Civitates subditos Marchicos in posterum non ut cives recipiant.

6. Vectigalia, quæ Marchio in Brisgovia a tempore acquisiti Hachbergici Marchionatus instituit, aboleantur.

7. Feuda, Cunemanno Bolsenhemio a Marchione ablata, intra anni spatium ei restituantur. Hachbergici & Usenbergici Vasalli a Paribus Curiæ Hachberg. & Usenberg. judicentur.

8. Civitates per sexennium in quieta possessione vicorum Remsingen, Höchstat, Achkarn & Lüsselnheim permaneant, quo finito cujuslibet partis salva sint jura.

9. Vici Badenses Uringen, Eystatt, Baldingen & Malterdingen, quos homagio sibi Argentinenses obstrinxerant, Hermanno tradantur Sulzensi Comiti, donec singulis pacis conditionibus satisfecerit Marchio. (*p*)

In specie cum Argentinensibus.

Lites, quæ civibus quibusdam Argentinæ Civitatis, de bonis naufragio occupatis, de vectigalibus in moneta, non recepta, exactis, aliisque de rebus cum Bernhardo intercesserant, peculiari Principum quorundam arbitrio reservatæ fuerunt. (*q*)

§. XLII.

(*p*) Transactio hæc extat in Archivo Bada-Durlacensi.

(*q*) Literæ, in agro Mühlbergensi, die Lunæ post S. Petri & Pauli A. 1424. confectæ, Dieterici Coloniensis Archiepiscopi, Johannis Episcopi Würzburg. Alberti Hohenloënsis Comitis atque Bernhardi nostri sigillis signatæ, in Tabulario Argent. servantur.

Digitized by Google

§. XLII.

A. 1425. Bernhardus memorabili transactione cum Johanne Spanheimensi Comite Beinhemii apud Alsatas inita, in Comitatum Spanheimensem jus sibi acquisivit & posteris. Spanhemii Comitum duae lineae, Cruzenacensis & Starckenburgensis fuerunt. Illa citeriorem Comitatum, qui proprie Spanheimensis, haec ulteriorem, (r) qui Starckenburgensis adpellatur, tenuerunt. Ultimus lineae prioris Comes, Simon IV. filiam heredem reliquit Elisabetham, quae Ruperto Imperatori, socero, & postea (s) Ludovico Barbato, Electori Palatino, affini suo, quintam partem Comitatus donavit, Johanne, Starckenburgicae lineae postremo, consentiente. Quinta haec pars Electoratui ab eo tempore mansit conjuncta; reliquae quatuor partes ad lineam Starckenburgicam, solam superstitem, pervenerunt. Ex linea hac Joannes Coecus, Spanheimensium ultimus, A. 1437. defunctus, jam A. 1415. testamentum condidit, quo Bernhardo Marchioni Badensi & Friderico Veldentiae Comiti, amitarum suarum fi-

Trans-actio Beinheimensis.

(r) *Vordere und Hintere Graffschaft Spanheim.* Conf. TRITHEMIUS *in Chron. Hirsaug.* ad A. 1411. qui tamen in rebus Spanheim. nonnulla tradit minus exacte.

(s) A. 1416. Literas traditionis exhibet TOLNERUS *in Cod. Diplom. Palat.* num. 215.

Digitized by Google

BERNH. I.

liis (*t*) ſpem ſuccedendi in terris ſuis fecit, eamque A. 1425. Beinheimenſi pactione firmavit. (*u*)

§. XLIII.

Leges ejus.

Pacti ſumma huc redit, ut Bernhardus Marchio & Fridericus, Veldentiæ Comes, utrumque Spanhemii Comitatum indiviſim tenerent, eorumque uterentur inſignibus. Cruzenacum oppidum & Caſtra excipiuntur, quæ in communione cum Ludovico Electore tum habuerat Johannes. Uterque Comitatus non niſi ad maſculos, & quidem ad Bernhardi Marchionis & Friderici

(*t*) Amitæ hæ fuerunt Loretta & Mechtildis; quarum illa Henrico nupſerat, Veldentiæ Comiti, mater Friderici; hæc Rudolpho Longo Marchioni matrimonio juncta, filium ex eo ſuſceperat Bernhardum. Amitarum harum patrem nonnulli vocant Henricum, alii Johannem. LUCAE Gravenſaal p. 612. SPENER. Op. Herald. Part. ſpec. L. II. Cap. 4. §. 5. L. III. Cap. 27. §. 16. Johannem fuiſſe patrem Mechtildis ſupra in Rudolpho Longo Marchione oſtendimus.

(*u*) Tradunt Scriptores, Johannem Spanhemii Comitem, cum Henrico patruo & Simone fratre diſſidia alentem, relicto Spanheimenſi Comitatu, ad Rudolphum divertiſſe Badæ Marchionem, Mechtildis Spanheimenſis maritum; a quo honorifice exceptus & paternæ ditioni poſt Henrici mortem reſtitutus, extincto Simone fratre, cum & ipſe liberis careret, hoc ſucceſſionis pactum, in grati animi teſtimonium, cum Bernhardo, Rudolphi Badenſis filio, iniverit. TRITHEMIUS *in Chron. Hirſaug.* ad A. 1411. pag. 332. & SPENER *ex Chron. Mſcpt. Comitum Spanheim.* l. cit. Lib. II. Cap. 4. §. 5.

Digitized by Google

Bernh. I.

Comitis nepotes, eorumque defectu, ad Wilhelmum, Hennebergæ Comitem, ejusque filium ac successores primogenitos transeant. Familiæ heredes sibi mutuo succedant. Venditio Comitatuum & oppigneratio prohibita. Pax Castrensis inter heredes ineatur. Feuda communi nomine conferantur a Seniore familiæ. Feuda vacua, communi consensu, vasallo novo concedantur.

Johannes Spanheimensis, Jacobum, Bernhardi filium, & Fridericum Veldentinum, ad communionem terrarum vivus admisit. Ludovico, Electori Palatino consentienti, Jacobus & Fridericus, partis ad eum spectantis securitatem, literis, Heidelbergæ A. 1428. datis, præstiterunt. (x)

§. XLIV.

Eodem anno Ludovicus Palatinus Comes & Civitates, Argentoratum, Basilea, Friburgum, Brisacum aliæque, inopinato Bernhardum aggressæ sunt bello. Mühlberga a fœderatis obsessa & capta. Sed vix abductis inde fœderatorum copiis, Marchio cum Wilhelmo, Argentinensi Episcopo & Ludovico Lichtenbergensi Comite, adversus Argentinenses fœdus inivit, cui paulo post Lotharingiæ Dux & Stephanus Comes Palatinus cum Salmensi

Bellum cum Civitatibus ad Rhenum.

(x) Literæ hæ extant apud Lünig *Reichs-Archiv Part. Special. Contin. II. IV. Abtheilung. IX. Absatz* pag. 490.

Digitized by Google

BERNH. I.

& Bitensi accesserunt Comitibus. Bernhardus cum Lichtenbergæ Dynasta Rhenensem Argentinensium pontem occupavit mense hujus anni Septembri. Inde pulsus, Oberkircham, quam pignoris jure possidebant Argentinenses, quinque mensium spatio obsedit; re infecta denique redire coactus. Bellum hoc, post multa damna utrinque illata, A. 1429. Archiepiscopi Moguntini interventu compositum est Spiræ. (y)

§. XLV.

A. 1430. Rabanus, Spirensis Episcopus, bonis & juribus Episcopatus a Marchione vim illatam conquestus, collecto sociorum exercitu irrupit in Marchiam; Mühlbergensis Castri obsidioni pertinaciter insistens; donec intercessione Herbipolitani Episcopi discessum ab armis. (z)

Eodem anno Bernhardus literis Schwarzacensi monasterio ejusque Abbati Conrado Schœnbergero Badæ datis, hominibus S. Petri, (S. Petersleuth) in judiciis vicisque monasterii sedentibus, omnia, quæ hucusque ei præstiterant, servitia remisit. (a)

§. XLVI.

(y) HERZOG *Chron. Alsat.* Lib. IV. pag. 109. & 110. & Lib. V. pag. 14.

(z) LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. Cap. 94. pag. 833. SIMONIS *Episcopi Spirenses* pag. 150.

(a) Tabularium Schwarzacense.

Digitized by Google

§. XLVI.

Bernhardus præter Marchionatum Hachbergæ, quem, ut diximus, (*b*) Otto, lineæ Hachbergicæ ſenioris poſtremus, ei vendidit, aliis terris ac bonis Marchiam ſuam adauxit.

Acceſſiones terrarum & jurium ſub Bernhardo Marchione.

A. 1377. Gerhardus de Staffort, armiger, Bernhardo & Rudolpho fratribus homines ſuos proprios, in vico Lütolzhein alibique in Marchionum ditione commorantes, exceptis tantum vicis Forcheim, Daſslan (Dachsland) & Specke, pro 15. Libris denariorum Argentinenſium vendidit.

A. 1382. una cum fratre Rudolpho coëmit a Cunzio de Schmalenſtein partem, quam habuit in Straubenhard, Langenalb, Tennach & Tobel, una cum curia in Nibelspach.

A. 1405. Hugo de Berneck, armiger, juri patronatus in Niefern, in gratiam Bernhardi renuntiavit.

A. 1407. Johannes de Waſſelnheim miles eidem Marchioni ejusquè heredibus maſculis, tradidit ſuam partem vicorum Waſſelnheim, Uberechlingen, Kraſtetten, Frydeshein, Utelnhein, Hiltenhuſen, reditus vini in Goſſeln, balneum & decimas in Pfaffenhofen, Hattenmatte, Obenheim, Nükirch, curiam in Zabern & Mittelbrunn, ita ut Marchio, ejusque hæredes maſculi, his omnibus uterentur. Loca hæc in Alſatia Inferiore ſunt ſita.

P 3

(*b*) Tom. I. pag. 374.

Digitized by Google

A. 1416. vicum Eyſtatt in Marchionatu Hachbergenſi, pro tribus florenorum millibus oppigneratum, à Caſparo de Klingenberg ejusque uxore Margaretha Maltereria Bernhardus redemit. (c) Eodem anno idem Marchio a Reinhardo Hofwarth de Kircheim partem vici Eyſingen comparavit.

§. XLVII.

Acceſſiones variæ & oppignerationes.

A. 1422. Conradus Bernlappius, armiger, quartam ei partem Caſtri Zaringenſis, cum ſilvis, banno ferino, pratis, aquis, aliisque juribus, ad hanc partem ſpectantibus, ſervata ſibi altera quarta, tradidit; ea conditione, ut ipſe Marchio ejusque heredes nobilem ſemper virum conſtituant, qui de pace Caſtrenſi Zaringæ ſervanda, fidem ſuam Conrado ejusque heredibus adſtringat. Conradus paulo poſt ſolennibus literis pacem hanc ſe ſervaturum promiſit. (d)

A. 1422. & 1426. Bernhardus varias partes in vicis Wolfartsweyer, Sellingen & Berghauſen; item maximam partem Altenſteigæ ab Hohenbergæ Comite acquiſivit, quam dein Uracenſibus Comitibus oppigneravit.

Sigismundo Imperatori non ſemel magnas pecuniæ ſummas; quin & Wirtembergicis Comitibus 20. millia florenorum mutuo dedit; Herrenbergiana in pignus accipiens.

(c) Tabularium Bada-Durl.
(d) Codex Diplom.

Digitized by Google

A Zolleranis Comitibus pro 3000. florenis ei oppignerata Hechinga. Henrico, Herrenbergiæ Comiti, fimilem fere fummam, Mafpachio in pignus recepto, commodavit.

§. XLVIII.

Obiit Bernhardus A. 1431. III. Non. Maji. Ætatis ejus incerti funt anni. Tempus nativitatis Chartæ & monumenta occultant. Patri A. 1372. mortuo per LIX. annos fuperftes, A. 1379. fratris cum jam fuerit curator, neceffe eft, eum feptuagenario multo majorem obiiffe.

Mors & ætas Bernhardi.

Cum monafterio Ciftercienfium Albæ Dominorum multis licet litibus fuerit diftrictus, in Choro tamen Ecclefiæ eorum fepulcrale monumentum ei fuit exftructum; quod varias inter mutationes ædis & monafterio deftructo, tamen perftitit illæfum. Imaginem ejus loco fuo repræfentamus lectori. Infcriptio diem & annum mortis indicat, ætatem filentio tranfit. (e) En Infcriptionis verba: „ Anno Domini MCCCCXXXI. Tercio menfis Maji obiit „ Illuftris Princeps Bernhardus Marchio de Baden. „ Monumenti hujus fide unanimi confenfu credunt fcriptores, Bernhardum in Ecclefia Albæ Dominorum fuiffe fepultum.

WOLFGANGUS DE ROTENBERG, Collegiatæ Badenfis Præpofitus, haud ita pridem defunctus, in Differtatione,

---

(e) SCHANNAT. *in Vindem. Literar. Collect. I.* pag. 152. Epitaphium exhibet, fed iconem ejus non dedit.

BERNH. I.

quam manuſcriptam reliquit, contendere conatur, Bernhardum in Eccleſia Parochiali Badæ fuiſſe ſepultum; at ſub nepote ejus Carolo ad Dominos Albæ translatum. Equidem ſepulturam ejus in Æde Badenſi admitto, translationem rejicio. Ædis hujus in Eccleſiam Collegiatam converſio a Bernhardo noſtro jam fuerat decreta A. 1413. Petiit a Johanne XXIII. Pontifice conſenſum, quem etiam Bulla, ad Conſtantienſem Epiſcopum ſcripta, obtinuit. Bellici tumultus conſilii hujus complementum impediverunt.

Patris decreta ſub Nicolao V. A. 1453. complevit Jacobus, ut ſuo loco docebitur. In Charta, quæ tum hac ſuper re ſcripta, Miſſisque Pontificiis a Marchione tradita fuit die XI. Aprilis, hæc verba leguntur: „ Cum felicis recordationis Illu-„ ſtris Principis Badenſis, Bernardi, genitoris ſeu patris ipſius „ Jacobi, in ipſa Eccleſia Badenſi ſepulti &c. „ Bernhardi ſepulturam in Eccleſia Badenſi evidenter hæc docent. Evidentius ipſæ Monumenti ſepulcralis reliquiæ A. 1753. in eadem ſub altari detectæ, eccleſiæ chorum novis ornamentis quum decoraret Ludovicus Georgius Marchio Badenſis. ROTENBERGIUS, qui cum Collegis ſuis aliisque permultis ſepulcri reliquias viderat, eas ita deſcribit: „ Inventus eſt prægrandis lapis inverſus, qui „ licet in fruſta diſſectus, manifeſte & irrefragabiliter ſpectan-„ tibus exhibuit figuram equeſtrem Bernardi, ære fuſam, cum

„ in-

Digitized by Google

„ inſcriptione: „ Anno Domini MCCCCXXXI. Sabbato poſt
„ inventionem Sanctæ Crucis obiit Illuſtris Princeps Bernardus
„ Ba - - - t in pace. „ Notandum vero, quod huic la-
„ pidi detractum fuerit æs omne fuſum cum figura ſtatuæ, ſcuti
„ ac galeæ, ac circumſcriptis literis, tamen ex inciſura lapidis
„ hæc omnia adhuc legenda & cognoſcenda erant & curioſo-
„ rum inſpectioni proſtant. „

Ex narratis his Rotenbergius colligit, ex Eccleſia Badenſi in Albenſem Dominorum translatum fuiſſe corpus Bernhardi; translationem ſub Carolo nepote factam eſſe reputans. Verum enimvero, quæ cauſa inducere potuerat nepotem, Avi ſui manes tam duriter ut tractaret; ſepulcralem ut diffringeret lapidem, quin & omnibus ornamentis æreque,, figuris literisque infuſo, ſpoliaret. Barbara hæc violatio ſepulcri, non translatio dicenda. Veriſimilior ſententia eſt, Bernhardum in Parochiali Badenſium Eccleſia voluiſſe ſepeliri, quod illam ornandam decreverat, nec unquam ex ea fuiſſe ablatum. Sepulcri ſpoliatio illi tempori adſcribenda, quo Bada omnis & Caſtrum, ſuperiore ſeculo finiente, bellicis everſa furoribus. Supereſt ergo, ut Mauſoleum Albenſe Bernhardi Honorarium dicamus.

§. XLIX.

Princeps fuit egregius, inter potentes & bellicoſos Germaniæ Magnates ſui ſeculi reputandus. Glorioſum ejus ſexaginta Character.

annorum, ſub quinque Imperatoribus regimen, quo ſapientia, juſtitia, integritate, fortitudine mentis, nulli Principum facile ſecundus. Apud Sigismundum Imp. cujus electionem promoverat, tanta ejus fuit auctoritas, ut difficillima negotia ejus conſilio expediret & manu. Bello incomparabilis, inter perpetuas illorum temporum turbas, quibus omnia vi & armis gerebantur, pacis tamen ſtudioſus & ſancte fœdera colens. Unde nonniſi provocatus defendendisque ſuis juribus & ſociis induit arma. Diſſidia aliorum ſua ſæpe interceſſione compoſuit: officioſus in omnes. Rei intentus domeſticæ, ſed munificus, ut principem decet atque liberalis, Marchionatum, dignitate opibus & potentia auctum, poſteris tradidit.

§. L.

Cancellaria & Curia.

Cancellariam & Curiam in meliorem ordinem redegit. Vaſallos, Judiciis feudalibus ut frequentes intereſſent, graviter monuit.

Cancellario uſus eſt Johanne de Bruſſella, quem in literis A. 1422. *Scribam* appellat, in cujus poteſtate fuerat Marchionis ſigillum. Idem in Charta A. 1424. vocatur „ Venerabilis „ Vir Dominus Johannes de Bruſſella, Protonotarius illuſtriſſi„ mi Principis ac Domini Bernhardi Marchionis de Baden. „ Cancellarii munere ergo fungebatur Johannes, nomen licet in Aula Badenſi non fuerit in uſu. Politica & civilia ab eo tractabantur negotia. Conſiliarii tum nondum in Collegia diſtributi. Unde

BERNH. I.

inter primarios Aulæ ministeriales Cancellarius habebatur; non nisi Vicario Principis & Aulæ magistro provinciali (Landhofmeister) postpositus. Sub Christophoro Marchione Kieferus & Schriberus, (f) sub Ernesto Gutius; sub Carolo II. Achtsinitus, sive Amelius; sub filiis Caroli II. Breitenaker JurisConsulti Doctores, *Cancellarii* nomine inclaruerunt. Postremis sub Marchionibus hæc dignitas quievit.

§. LI.

Sub eo Sigilla equestria in desuetudinem venerunt; at cera rubra invaluit. Ecclesiastici Principes & Comites cera viridi sunt usi. Multi ex illis privilegio ceram rubram obtinuerunt. Seculi XVI. initio cera rubra apud Comites in usu. Sigilla.

Cæsares a Bernhardi hujus temporibus Marchiones Badenses appellarunt *Lieber Vetter oder Oheim*.

Hæc omnia in summam si colligas, haud difficulter perspicies, Bernhardum nec inter majores, nec inter posteros habuisse, quem ei compares, multo minus præponas.

§. LII.

Prima Bernhardi uxor fuit Margaretha, Rudolphi Comitis de Hohenberg filia, cujus mentio fit in Charta fœderis, a Ru- Uxores.

(f) Wendel Schriben.

BERNH. I.

dolpho nostro cum Eberhardo III. Comite Wirtembergensi A. 1374. contracti, qua filia ejus Margaretha, Marchionissa Badensis, cum Wirtembergicis fœdus continuare jubetur, si Rudolphus ante fœderis exspirationem moriatur. (g)

Cum autem matrimonium hoc sterile esset, atque mortuo Bernhardi fratre Rudolpho, solus ille ex Domo superesset Badensi, divortium cum Margaretha meditatus est. Adivit ergo Clementem VII. Papam Avenione A. 1392. judices petens, qui examinarent; annon matrimonium contra jura canonica fuerit initum. Verba Bullæ Clementis sunt, *quod consanguinitatis vel affinitatis impedimenta existerent.* Conjugium, quod 18. annos duraverat, solutum. Bernhardus ad secundas progressus est nuptias, ducta uxore Anna, Ludovici Comitis Oetingæ filia, quarto consanguinitatis gradu ei juncta. Bonifacius IX. contra Clementem VII. Romæ electus, A. 1398. Bullam dispensationis ei transmisit. (h)

§. LIII.

Liberi.

Ex Anna hac Bernhardus tres filios & septem filias procreavit. Inter filios:

(g) Charta fœderis in Chartophylacio Wirtemberg. servatur. In fine ejus legitur. *Daß wann Graff Rudolph innerhalb dieses Jahrs abstürbe, so soll unser liebe Dochter Frowe Margaret von Hohemberg, Marggrevin zu Baden dis buntnuzz volle ußhalten in allen sachen.*

(h) Bulla utriusque Papæ in Chartophylacio Bada-Durlac. Basileæ servatur.

Digitized by Google

1. Jacobus, natus A. 1407. qui patri successit.

2. Bernhardus, quem Sigismundus Imp. literis Cassaviæ datis A. 1423. despondit Eberhardi, Comitis Wirtembergici filiæ, Cæsaris ex sorore pronepti. Elisabetha Noribergæ Burggravia, Comitissa de Wirtemberg, sponsæ mater, consensit. (*i*) Sed princeps hic juvenis præmatura morte ante nuptias decessit.

3. Rudolphus natus 14. Julii A. 1417. diem obiit supremum A. 1424. 1. Aug. (*k*)

Inter filias: 1. Anna, nata 15. Mart. 1398. nupta Ludovico Lichtenbergico A. 1409.

2. Beatrix, nata A. 1400. die Joh. Bapt. desponsata Emiconi Leiningæ Comiti, Instrumento Badæ confecto A. 1409. Beatrici in dotem octo millia flor. adscripta sunt. (*l*)

3. Mechtildis, nata A. 1401. d. XI. Dec. † 1402. d. 18. Apr.

4. Margaretha, nata A. 1404. die Convers. Pauli A. 1412. desponsata fuit Adolpho, Nassoviæ Comiti, cum dote 8000. florenor. Adolphus ei pro vidualitio assignavit 16000. flor. Wisbada pro pignore data. Conventio hæc Wormatiæ scripta est.

5. Agnes, nata die Lætare 1408. desponsata Gerhardo Duci Sleswic. A. 1432.

(*i*) Instrumenta hæc extant in Tabulario Bada-Badensi.
(*k*) OEFELII *Scriptores Rerum Boicarum* Tom. II. pag. 587.
(*l*) Charta est in Tabulario Bada-Badensi.

Digitized by Google

BERNH. I.

6. Ursula, (*m*) nata A. 1409. die Ven. ante Simon. Jud. desponsata I. Godefrido Comiti in Ziegenhayn A. 1422. cum dote 8000. flor. (*n*) II. Duci Teccensi, Ulrico Cæco A. 1426. † A. 1430.

7. Brigitta, nata A. 1416. die 1. Jan. vixit adhuc A. 1441. (*o*)

RUDOLPHUS VII.

§. LIV.

RUD. VII.

Rudolphus, Bernhardi frater, princeps quoque bellicosus, qui in turbis seculi XIV. finientis, bellicæ virtutis suæ varia specimina dedit. Vixit sub tutela Ruperti Palatini Electoris & dein fratris sui Bernhardi, qui A. 1379. suo & tutorio Rudolphi nomine fœdus cum Civitatibus Sueviæ inivit. (*p*) Paulo post cum fratre terras partitus, (*q*) superiorem Marchionatum accepit; atque solenni pacto Heidelbergæ A. 1380. eodem cum fratre

(*m*) Errat CRUSIUS, qui *in Annal. Suev.* Tom. I. pag. 346. scribit, A. 1419. Ursulam obiisse Rudolphi March. Bad. filiam Ulrico Duci Teccensi matrimonio junctam. Ursula hæc fuit Bernhardi filia, & obiit demum A. 1430.

(*n*) Instrumentum in Tabulario Bada-Badensi superest.

(*o*) Scheda Tabularii Bada-Durlac. liberorum Bernardi natales recenset.

(*p*) Vide in Bernhardo I. p. 67.

(*q*) Ibidem p. 68.

Digitized by Google

inito, Domus suæ jura stabilivit. (*r*) Illo quoque tempore cum Episcopo Constantiensi aliisque Principibus, in auxilium Comitum Wirtembergensium, adversus Sueviæ Civitates, plures misit armatos. (*s*)

A. 1382. expeditioni Argentinensium adversus Comitem de Vergey cum aliis Principibus interfuit. (*t*)

A. 1386. Rothwilenses cives nonnulli propter Felsium de Witingen Rudolphi sese hostes declararunt. Arbitri, qui de componendis Civitatum Principumque controversiis, Mergenthemii eo anno convenerant, turbas has composuerunt. (*u*)

Illustri illi Suevico fœderi, Rhenenses inter & Suevicas Civitates A. 1381. Spiræ contracto, (*x*) atque triennio post ad plures Principes Heidelbergæ extenso, (*y*) Rudolphus noster A. 1387. Mergenthemii accessit. Ibi in quatuor classes distributi Principes ejus fœderis socii. Rudolphus noster una cum Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis, Ruperto seniore & juniore Comitibus Palatinis, Hassiæque Landgravio, in secundam classem relatus. (*z*)

(*r*) Supra ad A. 1380.

(*s*) *Chron. Wirtemb.* apud SCHANNAT. *Vindem. Lit. Coll. II.* pag. 30.

(*t*) Supra ad A. 1382.

(*u*) LEHMANN. *in Chronico Spirensi* Lib. VII. Cap. 68. pag. 763.

(*x*) Tabulas hujus fœderis exhibet LEHMANN. l. c. Cap. 66. pag. 746.

(*y*) Instrumentum hoc dedit DATT. *de pace publica* Lib. I. Cap. 8. n. 21.

(*z*) LEHMANN. *in Chron. Spir.* Lib. VII. Cap. 68. pag. 754.

Digitized by Google

§. LV.

Comitatus Eberstein partem acquirit.

A. 1387. Wolffius Ebersteinensis Comes, cum gravi aere alieno premeretur, dimidiam partem Novi Ebersteinensis Castri, (a) Castri & oppidi Muckensturm, oppidi Gospolzheim & reliquorum, quae possidebat, locorum ac jurium partem octies mille florenis Rudolpho vendidit; servato sibi Mandelbergae (b) Castro, quod dein alia venditione, una cum bonis & juribus, eo pertinentibus, in Rudolphum quoque transtulit. Rudolphus partem debitorum in se recepit, atque intuitu Ebersteinensis Castri ad pacem Castrensem, quae pridem stabilita erat, servandam Wolffii Comitis ex fratre nepotibus se obstrinxit. Ipsum Wolffium partis venditae praefectum constituit Rudolphus, assignata ei redituum quarta. At biennio post (c) praefecturam abdicanti, habitationem in Castro Muckensturm & usumfructum quorundam bonorum ac jurium ad dies vitae concessit. (d)

Bellum cum Civitatibus Sueviae.

A. 1388. Rudolphus, in magna illo Principum & Civitatum bello, Comiti Wirtembergiae adversus foederatas Sueviae & Rhenen-

(a) Ebersteinense Castrum vetus Rudolphus I. Marchio jam comparavit, ut suo loco ostensum.

(b) Mandelberg Castrum est dynastiae Altensteig.

(c) Mense Novembri A. 1389.

(d) Instrumenta ex Archivo Badensi desumta vid. in Cod. Dipl.

Digitized by Google

RUD.VII.

Rhenenses Civitates auxilia tulit, prœlioque ad Wilam, mense Aug. hujus anni cum Civitatibus commisso, in quo Wirtembergici Comitis filius cecidit, ipse cum copiis interfuit. (e)

§. LVI.

Cum Argentinensibus.

Bello huic cum & Argentinenses essent impliciti, Rudolphus dispositis Stauffenbergæ, Geroldseckii, Thiersbergæ & Stolhovæ militibus, a mense Septembri hujus anni ad festum Pentecostes anni insequentis, civium Argentinensium vicos & villas, non solum trans Rhenum sed & cis Rhenum a Beinhemio ad Gamshemium usque combussit. Argentinenses vicissim, Rheno non semel trajecto, depopulati sunt terras Marchionis.

A. 1389. Rudolphus cum Ruperto Palatino aliisque Principibus, in Alsatiam suas copias duxit; vicos omnes ab Husberga & Ecbolshemio ad Molishemium & Westhovam usque igne delevit. Cladem hanc ulturi Argentinenses, nova in Marchionatum, Stolhovam versus, facta irruptione, multa damna dederunt. (f) Sed paulo post bellum hoc Egræ ab Imperatore compositum. Rudolphus ad Egranum conventum quoque misit legatum. (g) Formulæ pacis Rhenensis, quæ Egranam eodem anno secuta est,

(e) KOENIGSHOV. Cap. 5. §. 178. apud SCHILTER. pag. 348.

(f) Ibid. l. c. §. 193. pag. 354.

(g) Deputatorum Argent. Literas ad Senatum habet WENCKERUS *de Ussburgeris* pag. 145.

Digitized by Google

Rudolphus una cum Bernhardo fratre accessit; in cujus vita recensuimus reliqua.

§. LVII.

Mors Rudolphi.

Obiit Rudolphus A. 1391. (*h*) in Ecclesia Badensi, uti frater, sepultus. Restauratio ejus A. 1753. cum fieret, sepulcralis Rudolphi repertus est Lapis; qui hodieque extat in Choro.

(*h*) Errat CRUSIUS, qui *Annal. Suev.* Part. III. Lib. VI. pag. 315. Rudolphum hunc A. 1392. Equestribus Ludis a Suevica Nobilitate Schafhusæ celebratis interfuisse scribit.



CAPUT II.

JACOBUS.

A. 1431 — 1453.



§. I.

Regimen martiale excepit pacificum musisque dicatum. Minervam Bellonae in Aula Badensi successisse diceres. Jacobus Marchio, magni parentis magna propago; togatis virtutibus ejus decenter ornatus, inter Principes Imperii temporis sui nobilem quoque tenuit locum. Quindecimo die Martii A. 1407.(*a*) natus, Principum Domus Badensis primus literis imbutus est puer, ex patris praecepto, qui licet ipse indoctus, doctos tamen voluit esse, quos educaverat, filios. JACOBUS.

(*a*) Nativitatem ejus describit REMBOLDUS SLECHT, *Argentin. Canonicus, seculi XV. scriptor. in Append. Mſ. ad Martinum Minoritam, ubi ita:* „ Marchio de Baden Bernhardus, licet plures habuerit filias, cum „ uxore sua de Oetingen orta, tamen nunquam filium habuit, nisi pri„ mogenitum Jacobum nomine, qui in A. Dni 1407. XV. die Mensis „ Marcii natus fuit & baptizatus XVIII. mensis predicti. Sex ipsum

Digitized by Google

Duorum & viginti annorum juvenis, focero fuo, Carolo Lotharingiæ Duci, copias adverfus Metenfes in auxilium adduxit. (*b*)

§. II.

Initia ejus.

Adquifitam Hachbergæ Marchiam pater ei regendam tradidit vivus. Gubernationis hujus tempore triennale fœdus cum Civitate Friburgenfi A. 1430. contraxit. (*c*) Quo anno etiam Heitersheimenfis Hofpitalariorum Fratrum Prioratus ejus fe tuitioni commifit.

Anno fequenti patri fuccedens, copiis contra Huffitas pro Sigismundo Imperatore haftiferos XXV. ex militia fua junxit. (*d*)

Tres æmuli de Archiepifcopatu Trevirenfi quum acriter certaffent, Jacobus nofter, cum Moguntino & Colonienfi Electoribus, Manderfcheidium, Treviros obfidentem adjuvit. Turbæ hæ A. 1432. & fequenti durarunt. (*e*) Res per eosdem Electo-

„ levaverunt de fonte facro, videlicet Dn. Abbas de Mulnbrunn, „ Dn. Abbas de Albe, Dn. Abbas de Gotzauue, Prptus de Herde, „ Dn. Johannes de Kageneck miles, magifter Curiæ Marchionis. Uxor „ Theodorici Rœder fola levavit infantem, predicti aftiterunt. „ SLECHTIUS, ex autographo defcriptus, inter Scriptores Rer. Alfaticar. comparebit.

(*b*) A. 1429. menfe Julio. CALMET *Preuves de l'hiftoire de Lorraine* Tom. III. pag. 197.

(*c*) Codex Diplom.

(*d*) HONTHEIM *Hift. Diplom. Trevir.* Tom. II. n. 801. pag. 380.

(*e*) MAPPII *Annales Juliæ & Montium* Tom. II. pag. 50.

Digitized by Google

res tandem, Papa interveniente, transacta. Trevirensem Præsulatum Rabanus, Spirensis Episcopus, obtinuit. (*f*)

Sigismundus Imperator Jacobo & successoribus ejus omnia Domus Badensis jura in Concilio Basiliensi diplomate novo A. 1433. firmavit, annoque post eidem immunitatem officialium, ministerialium, omniumque subditorum a Landgraviali Brisgoviæ aliisque judiciis concessit. Privilegia Sigismundi Imp.

§. III.

Spanheimensium Comitum postremus Johannes A. 1437. decessit. (*g*) Jacobus Marchio & Fridericus Veldentiæ Comes, ad communionem possessionis vivo jam admissi Johanne, ratione ulterioris Comitatus inter se, & ratione citerioris cum Electore Palatino die 27. Nov. 1437. Pacem Castrensem, Communionis perpetuæ causa, iniverunt Crucenaci. Fridericus Veldentinus, lineæ suæ Gentisque postremus, utriusque Comitatus Spanhemii, quam possederat, partem, Stephano Bipontino, Comiti Palatino Rheni, genero suo, quin & vi pacti, quod A. 1444. d. 16. Sept. iniverat, (*h*) filio Stephani, Friderico Simmerensi, reliquit. In hujus stemmate pars illa Spanheimensis Comitatus dimidia usque Pax Castr. Crucenac.

(*f*) Trithemius *Chron. Hirsaug.* ad. A. 1437. vide supra in Bernhardo.

(*g*) Status caussæ Christiani III. Birckenfeld. Part. 2. n. 27.

(*h*) Virtute Pacti Heidelberg. A. 1553. d. 2. Nov. initi.

ad A. 1560. permansit; quo Palatino-Simmerensis Linea Electorale occupavit folium. Tum vero Spanheimensis portio ad Wolfgangum, Bipontii, & Georgium Johannem, Veldentiæ Duces pervenit. At A. 1566. omnis hæc portio ad Wolfgangum Bipontinum solum pervenit; qui biennio post Carolo, filiorum suorum minimo, eam cum Birckenfeldensi tractu testamento reliquit. Posteri hujus una cum Badensi Domo omnem Comitatum ulteriorem indivisim hodieque possident. (*i*)

§. IV.

Acta ab A. 1438.

A. 1438. Reinoldus, Urslingæ Dux, mortua uxore sua Anna vel Anastasia de Usenberg, cum Jacobo Marchione renovavit pacta, quæ cum patre ejus Bernhardo super Brockingam & Bischoffingam, Brisgoviæ vicos, ut & Castrum Alsatiæ atque oppidum Gemar iniverat. (*k*)

A. 1439. Jacobus cum Ludovico Palatino Electore, aliisque Principibus, Reinhardum comitatus est Spirensem Episcopum, qui magna solennitate Spiram urbem intraverat. (*l*)

(*i*) KREMER *in præfat. ad Histor. Spanheim.*

(*k*) Vide supra in Bernhardo I. ad A. 1421.

(*l*) LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. Cap. 123. pag. 940.

Digitized by Google

§. V.

Jacobus paulo poſt cum Ottone Palatino & vicinis Principibus tuendæ pacis publicæ fœdus inivit. Acta ab A. 1440.

Francofurtenſi Conventui A. 1442. cum filio ſuo interfuit Jacobus; teſtisque roboravit diploma, quo Fridericus IV. Imperator privilegia Domus Auſtriacæ renovavit. (*m*)

Tum quoque Cæſar ei privilegium de non evocando conceſſit, omnesque Comites, Dynaſtas, nobiles, milites, ceterosque ejus ditioni protectioni & advocatiæ ſubjectos, intuitu perſonarum & rei ſitæ, a Provincialibus & Cæſareo aulico judiciis immunes reddidit, Marchicis ſolis ſubjecit. (*n*)

Eodem anno Jacobus cum Friderico IV. Imperatore verſatus Conſtantiæ. (*o*) Brandeburgico Marchioni Alberto contra Noribergenſes auxilium tulit. (*p*)

§. VI.

A. 1444. evenit, ut Carolus VII. Galliæ Rex Imperatori copias contra Helvetios mitteret. Ludovicus Delphinus Bellum Armaniacum.

(*m*) Diploma apud LÜNIG & *in Anzeig der Privilegien des Hauſes Oeſterreich.* pag. 89.

(*n*) LÜNIG *Reichs-Archiv Part. ſpec. Contin. II. IVte Abtheilung IX. Abſatz* pag. 941. & SCHILTER. *Scriptor. Rer. Germ. Diplom.* pag. 97.

(*o*) TSCHUDI *Chron. Helvet.* Tom. II. pag. 350.

(*p*) Idem l. c. pag. 535.

Digitized by Google

JACOBUS.

triginta millia armatorum, quos Armaniacos vulgus vocavit, in Alsatiam duxit, in Helvetiam transituros. Tum vero Elisabetha, Galliæ Regina, ad Jacobum Marchionem, cui adfinitate juncta erat, (q) literas dedit, circa Festum Pentecostes, in Turonensium agro conscriptas; quibus eum de instante expeditione reddit certiorem additque, Regem & Delphinum sibi promisisse, terras Marchionis plane fore intactas. Has Franciæ Reginæ literas Jacobus misit ad Imperatorem, suis adjectis, quæ scriptæ erant Badæ, feria IV. post Petri & Pauli diem, anni ejusdem. (r) Delphinus, victis ad Basileam Helvetiis, copias suas per Alsatiam & vicinas regiones diffudit; sed Marchionatum Badensem reliquit intactum.

Armaniacorum furores repressurus Cæsar Comitia Norimbergam indixit, in quibus expeditio contra Delphinum decreta; Ludovico, Electori Palatino, summa belli delata. Speciatim autem Alberto Austriæ Duci, Alberto Marchioni Brandeburg. Jacobo Marchioni Badensi & Ulrico Wirtenbergæ Comiti injunctum, ut in Brisgoviam cum copiis se conferrent, de reducendo exer-

(q) Elisabetha, Franciæ Regina, soror erat Renati titularis Siciliæ Regis, qui uxorem duxerat Isabellam, filiam natu majorem Caroli Lotharingiæ Ducis & sororem Catharinæ, quæ Jacobo Marchioni nupserat.

(r) Literas utrasque exhibet ANONYMUS *Scriptor. Vitarum Marchionum Badens. idiomate Germ.* pag. 168. sqq. & FUGGER *Oesterreich. Ehrenspiegel* Lib. V. Cap. 5. pag. 550.

Digitized by Google

JACOBUS.

exercitu cum Delphino acturi. Hunc inter & Principes in magna illa planicie, quæ Brisacum & Ensishemium interjacet, institutus est sermo; quo rei transigendæ Roshemii in inferiore Alsatia definitus est dies.

Ludovicus Palatinus timens, ne pacis mora Galli ludificarent Germanos, initio Nov. principes Spiram evocatos, de exequendo Ratisbonensi decreto interpellavit. Sed prævaluit Austriæ & Brandeburgi Albertorum, Jacobi nostri, aliorumque sententia, qui Rosheimensis conventus expectandum esse eventum dicebant, neque prius, quam amicæ compositionis via fuerit tentata, festinandum ad arma. Paulo post Principes Argentoratum venerunt, de summa rei cum Delphino tractaturi. Hic vero, relicta paulo ante Alsatia, ad Beliardæ montem usque progressus erat. Unde re infecta Principes Argentorato discesserunt. Ab hoc tempore turbis Alsaticis se non amplius immiscuit Jacobus; neque expeditio contra Delphinum suscepta. Hic denique in Conventu Trevirensi A. 1445. copias se abducturum promisit, ea conditione, ne quid damni nomine ab ipso exigeretur. (s)

§. VII.

A. 1446. in Francofordiensibus Comitiis Jacobus una Acta ab A. 1446.

(s) SCHILTER. ad Kœnigsh. pag. 936. sq. & pag. 1006. sqq. & HERZOG *Chron. Alsat.* Lib. II. pag. 117. sqq.

Digitized by Google

JACOBUS.

cum Auguſtano & Chiemſeenſi Epiſcopis, ut & cum Brandeburgico Marchione Legati Cæſarei functus eſt munere. (t)

Idem eodem anno cum Moguntino, Palatino, Auſtrio, Bavaro, Brandeburgico Principibus & cum Wirtembergæ Comite contra Helvetios fœdus inivit.

Idem quoque annus eſt, quo Fridericus IV. Cæſar Rhenenſe telonium in vico Schreck, quod antea Johannes, Spanhemii Comes, poſſederat, Jacobo noſtro conceſſit. (u)

Biennio poſt Marchio noſter Caſtrum Steineck Dieterico a Gemmingen in feudum hereditarium conceſſit. (x)

A. 1449. bellum inter Auſtrios & Civitatem Baſileam compoſuit Jacobus; (y) eodemque anno Alberto, Marchioni Brandeburgico adverſus Norimbergenſes & fœderatas civitates auxilium denuo præſtitit. (z)

Sed & Comitis Wirtembergici ſocius, cum Carolo & Bernhardo filiis, Eslingæ civitati, ob novum vectigal, quod ab Imperatore impetraverat, bellum indixit. (a) Commiſſum eſt inter Wirtembergæ Comitem & civitatem ſociosque ejus, ad Eslingam

(t) Mandatum hoc exhibet GUDENUS *Cod. Dipl. Mog.* Tom. IV. pag. 300.

(u) Tabular. Bada-Badenſe.

(x) Alia feuda, Dieterico huic data, vide infra in Carolo.

(y) TSCHUDI *Chron. Helvet.* Tom. II. pag. 479. 529. 493.

(z) CRUSIUS *Annal. Suev.* Lib. VII. Part. III. pag. 389.

(a) DATT. *de pace publ.* Lib. I. Cap. 15. n. 37.

Digitized by Google

JACOBUS.

prœlium, in quo Johannes a Steinheim eques, Dux copiarum Badenſium cecidit, Wirtembergenſis victor evaſit. (*b*) In bello hoc Jacobus Wilam obſedit. Denique ſublatis auctoritate Friderici Imperatoris controverſiis, pax inter Principes & Civitates reſtituta eſt A. 1450. (*c*)

§. VIII.

Turbæ Lichtenbergicæ.

Eodem tempore Ludovicus Lichtenbergæ Dynaſta, Romam proficiſcens, avunculo ſuo Jacobo Marchioni, in Ortenavicis ſuis terris vicino, regimen ditionum commiſit. (*d*) Ludovico huic, ex Italia reduci, A. 1451. cum Schafrido & Emicone Comitibus Leining. exortum eſt bellum; multorum ſociorum acceſſione, magno utrimque geſtum ardore; vaſtatis hinc inde terris, quin & Caſtris pluribus vel deſtructis vel captis. Schafridus Hohenfelſſam, Dambacum, Neuhofium, & dimidiam Kittelsheimenſis vici partem, a Lichtenbergicis ſibi reſtitui petebat. Jacobus Marchio Lichtenbergenſis, vicini ſui, partes fovit primum occul-

(*b*) Vide CRUSIUS l. c. pag. 391. & TRITHEMIUS *Chron. Hirſaug.* ad A. 1449. & 1450. pag. 419. & 421.

(*c*) SEBAST. MUEGII *Chron. Mſcpt.* pag. 129.

(*d*) HERZOG. *Chron. Alſat.* Lib. V. pag. 19. Bernhardi March. filia Anna, ſoror Jacobi March. Ludovici hujus Lichtenberg. mater fuit. Vide ALSAT. ILLUSTR. Tom. II. pag. 622.

JACOBUS.

te, dein conciliatoris officium in se suscepit, amicitiæ vinculo Ludovico conjunctus. Fridericus Palatinus pro Leiningensibus stetit. Lis hæc in Heidelbergensi & Badensi Conventibus cum transigi non potuisset, Jacobus eodem anno, Spiræ cum Electoribus nonnullis, quos inter Fridericus Palatinus, aliisque principibus, Conventum habuit die Assumptionis beatæ Mariæ. Aderat cum duobus filiis Marchio & cum vasallis suis, Comitibus, Baronibus, Equitibus & cum Marchione Rœtelensi. Conventui intereant XV. Principes, XXVI. Comites, XX. Barones (*Freyen*), XXXII. Equites. (e)

Lites vero inter Lichtenbergensem & Leiningenses cum nec in Spirensi hoc Conventu fuissent compositæ, Jacobus una cum Reinhardo Spirensi Episcopo & Alberto Brandeburgico Marchione alium conventum Pfortzhemii celebravit, die Dominica post S. Lucæ, in quo denique transactio coaluit. (f)

§. IX.

Pax Castr. Werdensis.

A. 1452. Jacobus noster cum Philippo Ingenuo, Electore Palatino & ejus Administratore Friderico, fœdus inivit super

(e) Codex Mscpt. Palatini Archivi, & LEHMANN. *Chron. Spirens.* Lib. VII. Cap. 100.

(f) HERZOG. *Chron. Alsat.* Lib. V. pag. 21. sqq. Bellum hoc quoque describit MATTHIAS A KEMNAT, Friderici I. Palatini familiaris in Vita Friderici hujus Manuscripta pag. 163. quæ in Tabulario Palat. Manhemii servatur.

Digitized by Google

Jacobus.

Castrum & oppidum Werde (*g*) in Alsatia omnemque ejus districtum & marcam. Rupertus Palatinus Elector jam A. 1400. die S. Matthiæ Apostoli quartam Castri hujus partem a Ludovico, Lichtenbergæ Dynasta, coëmerat, pacemque cum eo iniverat Castrensem. Marchio Jacobus ex tribus illis partibus, quæ Lichtenbergicis remanserant, partem octavam ejusdem Castri Werdensis coëmit, adeoque ad Ganerbicam Castri quoque admissus est pacem. Pacis hujus particeps Palatinus Elector, petiit, ut acobus ob accessionem hanc cum eo Castrense quoque conderet fœdus. Conditum est die Jovis septimanæ Paschalis 1452. in Castro Liebenzele, ubi tum versabatur Jacobus. (*h*)

A. 1453. Jacobus a Carolo, Rege Franciæ, propter *generis nobilitatem ac sacræ plurimæque virtutis decus*, Consiliarius & Cambellanus nominatus est, literis in pago Turonensi datis, in quibus *Consanguineum* suum Rex Marchionem adpellat. (*i*)

§. X.

Fundatio Ecclesiæ Colleg. Badensis.

A. eodem die Martis post Quasimodogeniti Jacobus Collegium XXII. Clericorum, Petro, Paulo, Johanni Jacobo,

S 3

(*g*) Woerdt oppidum caput est Præfecturæ, quæ Lichtenbergicæ apud Alsatas Dynastiæ pars est, duabus leucis ab Hagenoa situm.

(*h*) Instrumentum fœderis hujus in Palatino Electoris Tabulario superest.

(*i*) Gudenus *Cod. Dipl. Mog.* Tom. IV. pag. 313.

Digitized by Google

JACOBUS.

Georgio & S. Annæ, Patronis dicatum, in Ecclesia Parochiali Badensi instituit; cujus jam diu ante votum Bernhardus susceperat pater. (*k*) In Collegio hoc duodecim ordinavit Canonicos; quos inter Præpositus, Decanus, Custos & Cantor; reliquos X. Vicarios esse jussit. Collegiatæ huic præter annuos reditus 500. florenorum, jus patronatus concessit in novem parochias, Besigkheim, Mensheim, Cappel, Gochspoltsheim, Niederbühl, Elchisheim, Remchingen, Seldingen & Gechingen; quas Bulla sua Pontifex eidem Collegiatæ attribuit. (*l*) Dimidiam fere annuorum redituum partem (medios fructus vocant) ad ecclesiæ usus Canonici conferre tenentur. Jus præsentandi Marchionibus reservatum; qui inter XII. Canonicos, quatuor Doctores vel Licentiatos admittant; reliqui sint viri probi & docti, ex legitimo omnes matrimonio nati, nisi forte naturales Marchionum filii admitti petierint. Quodsi Marchiones inter eorumque officiales aut subditos atque Capitulum Canonicosve lites oriantur, quæ amica transactione non possint componi, componantur per arbitros quatuor, quorum duo e consiliariorum Badensium numero, ceteri e capitulo eligantur. Diffidentibus quintus addatur superarbiter, quem vel consiliarii vel sacerdotes elegerint arbitri, prouti vel ec-

(*k*) Adi supra pag. 120.

(*l*) Exponit hæc scriptum: Genuina Informatio de perpetua subjectione Collegiatæ Ecclesiæ Badensis, hoc seculo impressum.

Digitized by Google

clesiasticæ vel secularis personæ causa agitur. A laudo provocare non licet.

§. XI.

Testamentum Jacobi.

Eodem tempore Jacobus, acceptis solennibus literis, (*m*) quibus filii paternæ se voluntati submittunt, plura inter eos testamento dispoſuit, quæ ad succeſſionem terrarum, ad splendorem & incrementa Domus, mutuamque fratrum concordiam pertinere videbantur.

Carolum, Bernhardum, Georgium ſeculo, Johannem & Marcum eccleſiæ deſtinavit. Carolo natu majori pleramque superiorem Marchiam cum Spanheimenſi Comitatu & Marchionatu Hachbergico ac Dynaſtiis Höhingen, Lahr & Mahlberg attribuit. (*n*) Inferiores terras inter filios poſtgenitos Bernhardum & Georgium diviſit: illi Pforzhemium, huic Durlacum ſedes regiminis conſtituit. Sortes & ſpem ſuper Lichtenberg, jura ſuper Duciſſæ Lotharingiæ hereditatem, jura in Mutzig; debita Papæ, Cæſaris, Auſtriæ, Oettingæ & alia in communione reliquit. Johanni autem & Marco annuas mille florenorum aſſignavit penſiones, quarum dimidia pars ceſſet, ſimulac uterque eccleſiaſticis ex beneficiis totidem obtinuerit florenos. Tota penſio ceſſet, ubi aut Epiſcopatus, aut bis mille florenorum redi-

(*m*) Die Mercurii poſt Quaſimodogeniti.

(*n*) Literæ ipſis teſtamenti tabulis inſertæ.

Digitized by Google

tus impetraverint. Imperialia & Palatina feuda Carolus; Moguntina & Spirensia Bernhardus, Weissenburgensia Georgius suscipiat. Ad redimenda feuda Palatina *Graben* & *Stein* tres lineæ summam 15000. floren. (*o*) conferant, at possessio maneat penes eum, cujus portioni in testamento adscripta sunt. Documenta in Castro Badæ communi asserventur custodia. Singuli fratres repertorium eorum habeant. Nulli fratrum soli ad ea pateat aditus.

De cetero filiis injungit Jacobus, ut singuli eorumqne heredes, perpetuam inter se pacem & amicitiam colant; a bellis, mutuisque abstineant injuriis. Arctissimo inter se fœdere nexi, amicos habeant communes & hostes, neque cum exteris societatem ineant, aut fœdera pangant. Lites obortas amicabili transactione componant; vel arbitros eligant consiliarios; quibus superarbiter, si necesse est, addendus; omni provocatione sublata. Subjecti unius in alterius terris, nisi domino consentiente, matrimonia ne contrahant.

Feminæ, nonnisi extinctis omnium linearum masculis in Marchionatu succedant; duodecimum egressæ annum omnibus in terras Marchicas juribus renuntient. Confirmationem hujus juris post

(o) Adduntur in testamento rationes, cur Carolus plus reliquis accipiat: Longinquitas terrarum, indivisibilitas Comitatus Spanheim. dos insignis uxoris 39000. flor. Rhenensium; quos pater in suum usum converterat.

Digitized by Google

Jacobus.

post testatoris mortem a Cæsare petant Marchiones. Decies mille florenorum filiæ principis dos sit. Auctis terris dos hæc quoque possit augeri. Monastica vota, quæ suscipiunt filiæ, quotannis centum florenos accipiant. Terras aut earum jura, neque alienare, neque oppignerare Principi Badensi fas sit. Quodsi oppigneratio evitari non potest, reluitio semper maneat salva; pignus sex mensibus ante fratribus vel agnatis offeratur; quibus, uti & pignoris domino, perpetuum reluendi jus competat. His formulis alienationes terrarum Badensium solenni suo testamento Jacobus prohibuit. Christophorus, nepos ejus, arctiore vinculo, ut deinceps docebimus, successores adstrinxit. Dotalitia & vidualitia principum feminarum super terras fieri permisit Jacobus. Si una ex lineis sine masculis perierit, reliquæ succedant æqualiter, ita tamen, ut senior Badam semper, cum valle & Advocatia Monasteriorum *Lichtenthal* & *Schwarzach* possideat. Lineæ pereuntis filia 10. mille florenorum accipiat dotem. Quodsi duæ lineæ perierint, tertia succedat; at filiabus semper prospiciatur. Si omnes lineæ interierint, succedat, qui jus succedendi tum habiturus est.

§. XII.

A. 1453. Jacobus Spira domum rediens ægrotavit, mortuus in Castro Badæ, quod dein vocatum est vetus. Sepultus in Collegiata Badensi, quam instituit, Ecclesia, ubi & pater sepulturam accepit. Mors ejus.

Digitized by Google

JACOBUS.

Præter Spanheimensem Comitatum, de quo jam supra, dimidiam quoque partem in Schwann, Conweiler, Tobel, Tennach, Rumertsbach, Stenach, Ober-Nibelsbach, Grevenhausen, Sulzfeld, Under-Niebelsbach, Langenalb, Neuenbürg acquisivit Jacobus. Altera dimidia pars Ludovico, Wirtenbergico Comiti, vendita fuit. Nec transeundum silentio, quod vicum Weisweil, Hachbergici Marchionatus, cum castro, 1560. florenorum summa a Stauffenbergensibus Dynastis A. 1430. redemit. Homines proprios, quos Rathsamhausii Bahlingæ habebant, 800. florenis Marchionatui acquisivit.

§. XIII.

Character.

Salomonem Badensem haud immerito vocamus Jacobum, qui tam sapienter, tam pie suam rexerat Marchiam; suam rexerat Domum, cui Sanctionem Pragmaticam solenniorem Bernhardina præscripsit, qua ejus felicitas, splendor, immortalitasque innititur. Per omne regiminis tempus pacem custodivit & coluit. Jura in Margarethæ, Lotharingicæ socrus, hereditatem neglexit, eaque filiis in testamento prosequenda reliquit. Justitiæ & integritatis laus ejus per Germaniam omnem inclaruit. Moriens mutuam inter se concordiam filiis injunxit & in cives clementiam. Speciatim ordinavit, ut primo a morte ejus anno, adhibitis quique consiliariis, singula ditionum obirent oppida & loca, omniumque audirent querelas, oppressos sublevarent, vim

Digitized by Google

Jacobus.

injustam, si quæ eo regnante illata, corrigerent. Disciplinam quoque Monasteriorum in terris suis habuit curæ, atque inter alia Monasterio Albæ feminarum novam ordinationem præscripsit. (*p*)

Plenus admiratione ejus Aeneas Sylvius (*q*) hunc in modum de eo scribit: „ In Marchionatu Badensi Princeps Ja-
„ cobus justitiæ ac prudentiæ fama inter Germanos clarissimus,
„ cum sibi ad humanam felicitatem solam literaturæ peritiam
„ deesse angeretur, quos ex conjuge legitima liberos sustulit,
„ ediscere literas compulit: inter quos diviso patrimonio, cum
„ Carolo primogenito, singularis industriæ juveni, Imperatoris
„ sororem matrimonio collocasset, plenus annis haud invitus e
„ vita decessit. „ (*r*)

§. XIV.

Uxor Jacobi fuit Catharina, Caroli I. Lotharingiæ Ducis filia. Hic masculam non reliquit prolem, sed Isabellam & Ca- Uxor.

(*p*) Epistola Conradi de Munchingen, Carthusiani, scripta A. 1443. Tabular. Bad.

(*q*) *De Statu Europæ sub Friderico III.* apud Freherum Tom. II. p. 133. Aeneae Sylvii *Operum* p. 438.

(*r*) Ibidem pag. 493. hæc addit: „ Jacobus Marchio Badensis, ubi latroci-
„ nium in ditione sua commissum didicit, vocatis iis, qui damno affe-
„ cti fuissent, tantum eos ex fisco suo accipere jussit, quanti esse,
„ quæ amisissent, jurejurando affirmassent. Exinde latrones insecutus,

Digitized by Google

tharinam filias. (s) Isabella destinata fuerat Jacobo, at nupsit dein Renato, Andegavum Duci, qui titularis fuit Neapoleos Rex; cui Cardinalis Barrensis, in favorem matrimonii, Ducatum Barrensem & Marchionatum Mussipontanum promiserát; bonorum suórum eum instituens heredem. Catharina A. 1408. nondum septennis desponsata fuit Jacobo, virtute pacti, quod pater ejus Carolus cum Bernhardo Marchione inivit. Carolus filiæ 15. mille florenos in dotem promisit. Conventum quoque, ut morituræ sine liberis Isabellæ Catharina soror & ejus heredes in Lotharingiæ Ducatu succederent. (t) Bernhardus ex sua parte vicies mille florenos filio & in vidualitium Catharinæ promittit, eumque in finem Castrum & oppidum Stolhovæ oppignerat. Literæ utriusque partis conjunctim conscriptæ sunt hac super re

„ apprehensos in rota sustulit. Id est supplicii genus apud Teutonicos
„ formidabile. Atque ita brevi pacatissimam provinciam reddidit. Pa-
„ tris vestigia Carolus nobilissimus adolescens sequitur, cui nupta est
„ Catharina, soror Friderici Cæsaris.

(s) Lexicon Basil. Art. *Baden* Catharinam dicit fuisse seniorem. Verum in Instrumento vidualitii Isabellæ, quod Ludovici, Cardinalis Barrensis, auctoritate constitutum Nanceji d. 24 Octob. 1420. Isabella diserte vocatur *filia senior* (fille ainé du Duc de Lorraine) vide VIGNIER *Origine des Maisons d'Alsace* pag. 194. Adde sententiam Caroli VII. Galliæ Regis inter Renatum & Antonium Valdemontii Comitem, ubi Renato adjudicatur Lotharingia ex capite Conjugis ejus Isabellæ. Data est Rhemis d. 27. Mart. 1440. VIGNIER pag. 213. sqq.

(t) Idem plane cautum est in testamento Caroli I. Lotharing. Ducis A. 1424.

Digitized by Google

Jacobus.

Raoni Lotharingiae; quarum authenticum in Tabulario Bada-Badensi inspexi.

Nuptiae Jacobi cum Catharina nonnisi A. 1426. celebratae fuerunt. Tum vero Jacobus Lotharingiae oppida *Bruyeres*, *Arches*, *Raon* & *S. Deodati* oppidum (*S. Diey*) dotis loco accepit. (*u*) Locis his Wersicum Bock de Stauffenberg, virum bello strenuum, praefecit Jacobus. Hoc mortuo terras istas & oppida Renatus Dux, Isabellae maritus, soluto Badensibus pretio, redemit. Wersicus castrum Jungholz in Alsatia superiore occupavit, ubi cum Hatstadiis, Husiis, Regishemiis, Stoeriis &c. Militibus contra Lotharingos nobiles, a quibns olim se laesum querebatur, societatem inivit. A. 1465. suscepta in eos cum sexcentis armatis expeditio, indeque ingens praeda per vallem Sancti Gregorii incolis hujus vallis ob priscam cum Lotharingis amicitiam frustra renitentibus, Jungholzium ducta est. (*x*)

§. XV.

Jacobus ex matrimonio cum Catharina Lotharingica quinque filios, unamque filiam suscepit. Liberi.

T 3

d. XI. Jan. conscripto. vid. Calmet *Hist. de Lorraine* Tom. III. Preuves pag. 187.

(*u*) Calmet *Hist. de Lorraine* Tom. 2. pag. 704. Memorata quatuor oppida sita sunt in Vosago monte.

(*x*) Berler. *Chron. Mscpt.* Mundati Ruffac. fol. 141. quod inter Codices meos Alsaticos extat.

Digitized by Google

JACOBUS.

1. Carolus primogenitus patri in principatu successit.

2. Bernhardus ob vitæ sanctimoniam inter Divos relatus.

3. Johannes Archiepiscopus Trevirensis evasit.

4. Georgius factus est Præsul Metensis.

5. Marcus in Ecclesia Coloniensi & Argentinensi Canonicatum accepit.

Margaretha, Jacobi filia, Alberto Marchioni Brandeburgico nupsit.

Carolum Bernhardum atque Georgium seculo destinaverat pater, Ecclesiæ ceteros. Sed Georgius portione, quam testamento paterno acceperat, Carolo fratri relicta, ad Ecclesiam quoque transivit. Bernhardus eidem fratri regimen terrarum suarum reliquit; non diu post mortuus cælebs.



Digitized by Google

CAPUT III.

CAROLUS I.

A. 1453 — 1475.

§. I.



Pacificum Marchiæ viginti duo annorum regimen excepit turbulentum & Rectori fatale. Jacobum, pacis artibus innutritum, fecutus eft Carolus, animofus fed infelix miles a Jungero (*a*) vocatus. Tertia Marchiæ pars patris decreto ei fuerat deftinata. Totius gubernationem fratrum ceffione denique folus accepit. Carol. I.

Nativitatis ejus annus incertus. Adolefcens ludis equeftribus Landshutæ inter nuptias Ludovici Ducis Bavariæ A. 1439. aliisque Ulrici, Wirtembergiæ Comitis, nuptiarum occafione Stutgardiæ A. 1445. celebratis, interfuit. (*b*) Gefta fub patre.

(*a*) *In Narratione Genealog. Mf. Domus Badenfis.* Fugger. in *Speculo Auftr.* pag. 443. *der Krieger.*

(*b*) Crusius *Annal. Suevicor.* Lib. VII. Part. III. pag. 365. 371. 382.

Digitized by Google

A. 1446. Friderico IV. Regi Romanorum, cujus fororem nuper duxerat uxorem, contra Helvetios (c), atque triennio post Wirtembergæ Comiti, adversus Eslingenses & fœderatas civitates, præstitit auxilium. (d)

§. II.

Turbæ Lüzelstein.

A. 1452. bellum, Comitibus Lüzelsteiniis funestum, recruduit. Carolus cum Theodorico Mogunt. Archiepiscopo & Ludovico, Bipontino Duce, Comites hos in Fridericum Palatinum concitavit; cujus frater Ludovicus Elector haud ita pridem gravi eos attriverat bello. Lüzelsteinii, una cum vicinis Lichtenbergicis terras Schaffridi, Leiningensis Comitis, Palatino amicitia & vinculo vasallitico juncti, hostiliter aggressi, eas ferro flammisque vastarunt. Sopiendis his litibus conventum Heidelbergæ Palatinus instituit. Brandeburgicus ibi & Badensis, Marchiones, Lüzelsteinensium partes tuiti sunt. Palatinus fortiter pro Leiningensi disseruit. Magna verborum contumelia discessum est. Palatinus qui Impererialium Alsatiæ Civitatum Præfecturam, Domui suæ oppigneratam, tum quoque gerebat, Lüzelsteiniis intulit bellum; occupataque, bimestrem post obsidionem,

(c) CRUSIUS loc. cit. pag. 385.

(d) Conf. vita Jacobi A. 1449.

Carol.I.

nem, Lützelsteinia arce & Comitibus in exilium actis, Comitatum eorum sibi vindicavit. (*e*)

§. III.

Austriacæ.

Eodem anno Carolus noster profectus in Austriam, bellicas ibi turbas, quæ Friderico IV. Imp. affini ejus, a Romana expeditione & coronatione reduci, exortæ sunt, composuit arbiter. Hungari, Bohemi, Austrii Regem suum, Ladislaum Posthumum, XII. annorum adolescentem, cujus tutelam proximus sanguine gesserat Cæsar, (*f*) sibi tradi petebant. Austrii maximo rem ardore aggressi, junctis sibi Hungaris, Bohemis, Moravis, Neostadium Austriacum, ubi Cæsar morabatur, obsidione cinxerunt. Cæsar aliquot dierum inducias pactus, cum Salisburgensi Archiepiscopo, Frisingensi ac Ratisbonensi Episcopis civitate egressus, cum adversæ factionis Principibus de pace tractavit. At res nullo modo componi, nec induciarum tempus potuit prorogari. Desperatum de pace. Marchio solus apud hostes remansit, novoque colloquii die impetrato, una cum Episcopis, pacis leges

(*e*) Trithemius in *Chron. Hirsaug.* ad A. 1452. Paulus Hachenbergius *in historia de vita ac rebus gestis Friderici I. Palat.* Lib. II. p. 37. seqq. Alsatia Illustrata Tom. II. pag. 197.

(*f*) Friderici IV. Imp. Avus fuit Leopoldus Pius, Austriæ Dux; cujus frater Albertus erat Proavus Ladislai posthumi.

Digitized by Google

CAROL. I.

proposuit; ut obsidione soluta, Ladislaus Comiti Ciliæ gubernandus traderetur; donec in conventu, qui festo Martini Vindobonæ habendus, decerneretur, ubi educari, & per quos rex Ladislaus deberet.

Ad conventum hunc tres Episcopi, duo Bavari Duces, Brandeburgicus & Badensis Marchiones destinati fuerunt, qui auditis utriusque partis rationibus rem omnem componerent. Conditiones hæ, adnitente præsertim Carolo nostro, Neostadii probatæ fuerunt. Austrii interea traditum sibi Ladislaum Regem, contra fidem, quam dederant, Vindobonam ducentes, nomine ejus gesserunt regimen. Destinatus conventui cum illuxisset dies, & præter ceteros Carolus noster atque Æneas Sylvius a Cæsare legati adessent, Austriaci Neostadiensi conventione se teneri negarunt, quod Ladislao tutela exemto, suorumque armis libertati restituto, iniquum videretur, victori leges præscribi a victo. (*g*) Austriacæ hæ turbæ in annum 1452. inciderunt.

§. IV.

Patri succedit.

A. 1453. Carolus noster cum Georgio & Bernhardo fratribus Jacobo patri successit. Anno sequenti Georgius, ad Ecclesiam transiens, Carolo & Bernhardo portionem suam; Bernhardus

(*g*) AENEAS SYLVIUS in *historia Friderici Imp.* in SCHILTERI *Scriptorib. Rer. German.* pag. 114. GERARDUS A ROO *Histor. Austr.* Lib. VI. pag. 208. seqq. FUGGER. *Ehrenspiegel* Lib. V. cap. 8. pag. 590. seqq.

Digitized by Google

brevi post regimen terrarum Carolo fratri soli reliquit; ut vitæ eorum nos docebit historia. Ab eo tempore Carolus tam sua, quam Bernhardi fratris auctoritate Marchiam rexit, signatis utriusque nomine Chartis, usque ad A. 1458. quo Bernhardus decessit.

Carolus a Burcardo Abbate & Conventu Tennebacensi A. 1453. Advocatus electus est. (*h*)

Fridericus IV. Imp. literis, eodem anno Neostadii datis, facultatem ei concessit, Castrum Ortenberg & Ortenaviæ Civitates Offenburg, Gengenbach, Zell, id est, Præfecturam Ortenavicam ab Episcopo Argent. pretio oppignerationis soluto, redimendi. (*i*)

§. V.

Præfectura Imperialis Ortenaviæ, uti Alsatica, Suevica aliæque, libera erant Imperii domania, quæ urgente necessitate Cæsares pro parata pecunia dederunt in pignus. Ortenavica A. 1334. Ludovico Bavaro Imp. ordinante, in Badensium Marchionum manus pervenit. (*k*). Carolus IV. A. 1351. peculiari Diplomate ad Episcopum Argentinensem, Bertoldum de Bucheck Præfecturam hanc transtulit, qui deficientibus nummis, Argenti- Rræfectura Imp. Ortenaviæ.

(*h*) Codex Diplomat.

(*i*) Literæ extant in Tabulario Bada-Badensi.

(*k*) Adi supra Lib. IV. cap. 3. §. 3. pag. 45.

Digitized by Google

CAROL. I.

nense telonium Badensibus tradidit. Rupertus I. Palatinus Elector A. 1365. à Carolo Imp. potestatem accepit, Præfecturam ab Argentinensi ut relueret Episcopo. Mansit tamen in potestate hujus Ecclesiæ usque ad Wilhelmum à Diest, qui A. 1404. acceptis vicies & ter mille cum quingentis florenis dimidiam ejus partem Ruperto Imperatori, ut Electori Palatino, gratiæ ejus conciliandæ causa, concessit. Dimidia hæc pars penes Electores Palatinos; altera penes Argentinenses Episcopos mansit. Hanc Carolus noster ut redimeret, Literis, quas allegavimus, Fridericus Cæsar A. 1453. concessit.

Idem Cæsar ad Præfectoriales Ortenaviæ Civitates A. 1462. perscripsit, (*l*) ne futuris temporibus Fridericum Palatinum, sed Carolum Badensem, agnoscerent Præfectum. Ita omnis Præfectura ad Badenses rediisset. Res tamen in pristino statu permansit. Palatinis Electoribus pars eorum dimidia ante bellum Palatino-Bavaricum A. 1504. non fuit erepta.

Non rara fuit Cæsarum consuetudo, ut oppigneratas Imperii terras reluendi facultatem concederent; reluitio tamen non fieret, (*m*) vel ob pecuniæ defectum, vel quod possessor, opibus

(*l*) Extant hæ Literæ in Tabulario Bada-Badensi.

(*m*) Advocatiæ Suevicæ, Friderico Bavaro oppigneratæ, reluitionem Leopoldo Austrio Wenceslaus Cæsar A. 1379. permisit, & illa tamen sub Ruperto Imp. nondum penes Austrios fuerat. MARTENE Collectio amplisf. Tom. IV. Col. 33. num. 19.

Digitized by Google

Carol. I.

potens, pignus in alium transferre recusasset; id quod Carolus quoque noster expertus est; qui nec Palatinum nec Antistitis Argentinensis obtinuit partem.

§. VI.

Varia.

Eodem tempore (1453) octavam Lichtenbergicæ Dynastiæ partem à Ludovico Dynasta obtinuit Carolus; illam præsertim, quæ in Ortenavia Marchiam tangit. Fœdus quoque initum; virtute cujus Ludovicus Carolo A. 1457. bellum gerenti, suppetias tulit. (*n*)

In Comitiis Francofurtanis mense Septembri A. 1454. belli Turcici causa habitis, Carolus una cum Brandeburgico & Ænea Sylvio Gurcensique Episcopo Cæsaris vices peregit. (*o*)

Eodem anno Fridericus Imp. literis Neostadii datis, (*p*) Carolo & Bernhardo Marchionibus tuitionem Eslingæ, Suevorum Civitatis liberæ commisit. Virtute harum literarum per LX. annos in protectionem Badensem Eslinga recepta est. (*q*)

(*n*) Herzog. *Chron. Alsatiæ* Lib. V. pag. 18.

(*o*) Gobellinus *Bonnensis Vicarius*; Pio II. Pontifici à secretis Epistolis, *Commentariorum Pii II.* Lib. I. pag. 23.

(*p*) Die Veneris post Martini.

(*q*) Utrumque instrumentum vide apud Datt. *de pace publ.* Lib. II. cap. IX. num. 15, & 17.

Digitized by Google

A. 1455. Imperator, scripto Neostadii diplomate, Carolo & Bernhardo fratribus privilegia, quae sequuntur, concessit: (r)

1. Quicunque in Marchionum terris facinus aliquod perpetraverint, res in eorum judicator tribunalibus.

2. Si quis hereditaria praedia in Marchionatu teneat, & de iis controversia nascatur, coram judicio, in cujus districtu sita sunt, expediatur negotium.

3. Ne quis Marchionum Badensium subditos aut officiales, rationibus nondum redditis, dominis invitis recipiat cives. (s) Huc usque Carolus comparuit pacificus.

§. VII.

Bellum Palatinum.

Arctum, quo Friderico Caesari Marchio noster fuerat junctus, affinitatis vinculum frequentibus cum Electore Palatino, cui Caesar semper adversabatur, litibus dedit occasionem. Hic indignatus est pactum, quo Philippus Ingenuus in patruum contulerat Electoratum: Fridericus ex tutore Electoris evasit Elector; Philippum, quem adoptaverat, nonnisi mortuus successorem habiturus. Carolus, Caesaris, affinis sui, auctoritate inductus, Fridericum Electorem agnoscere recusavit.

(r) Die Lunae post Palmarum.

(s) Diploma hoc extat apud LUNIG. *Reichs-Archiv Parte speciali Continuat. II. IVte Abtheilung*, *IXter Absatz* pag. 941. & apud SCHILTER. *Script. Rer. German. in Codice Dipl.* pag. 98.

Digitized by Google

Inter hæc novus Elector agnato suo, Ludovico Nigro, Bipontino, Stephani Simmerensis filio, perpetuo suo æmulo, intulit bellum & Tabernas Montanas A. 1455. obsedit. (*t*) Belli hujus occasione constitutus est dies, quo discordiæ Fridericum inter fratresque Badenses dirimerentur, & quidem Neoburgi; quod castrum ad Navam, olim caput Comitatus. (*u*) Placati ibi sunt animi hostiles. Duos inter Marchiones Badenses ad cœnam sedit Fridericus, brevique post Badæ eosdem invisit, multis lætitiæ testimoniis exceptus. Marchiones Heidelbergæ vicissim inviserunt Electorem festo Simonis & Judæ. Tum denique lis illa de investitura Castrorum *Graben* & *Stein*, quam constanter recusaverat Jacobus, a filiis terminata est Ille quidem à Friderico, ut tutore Electoris Philippi, hæc feuda accepit, sed ab eo, ut Electore, ea recipere recusaverat. (*x*) Enimvero ad officium vasalli obstrinxit se Carolus, si Curiæ Electoralis Palatinæ Pares ex ordine Comitum id faciendum esse feudali declaraverint judicio. Judices sederunt septem Philippus scilicet de Catzenelnbogen, Hesso

(*t*) De bello hoc TRITHEMIUS *in Chronico Hirsaug.* ad A. 1455. ubi Tabernas montanas, in festo Tiburtii Martyris, a Friderico Electore expugnatas fuisse tradit.

(*u*) Schloss *Neuenburg* hodie *Naumburg* ad Navam. Eberhardum *Comitem de Neuuenburg* memorat KREMER. de *Comitibus Spanheim.* pag. 15.

(*x*) Narrat hæc *Anonymus Palatinus*, temporis illius scriptor, cujus Codex in scriniis Electoralibus Palatinis servatur, idiomate Germanico scriptus pag. 84. 166.

Digitized by Google

CAROL. I.

de Leiningen, Guilielmus de Virnenburg, Philippus de Hanau, Philippus de Rieneck, ſenior Johannes IV. Rheingravius de Dhaun; Bernhardus de Eberſtein.

Hi die 30. Octobr. A. 1455. novi Electoris poſtulata probarunt. Carolus ſatisfecit ſententiæ & ſolenni ceremonia vaſallagium præſtitit.

§. VIII.

Fœdus cum Palatino, aliaque.

Solennitatem decennale fœdus excepit, *Unionem* (*y*) quod vocant. In fœdere hoc Carolus & Bernhardus fratres, Marchiones, cum Friderico I. Electore convenerunt, ut per conventionales, quos vocant, Auſtregas, orituræ inter fœderatos lites componerentur. Si Palatinus eſt actor, ex Conſiliariis Palatinis arbitri duo, ex Badenſibus duo ſumantur, hisque communis, ex Badenſibus Conſiliariis addatur arbiter. Auſtregales hi judices conveniant Bruchſalæ. Quodſi compoſitio non habeat locum, major ſuffragiorum numerus decidat. Arbitris (*z*) autem in duas diſcedentibus partes, arbiter communis (*a*) cui parti accedat, illa ſit victrix. Sententia pronuntiata intra tres menſes ſortiatur effectum. Res ita tractentur, ſi Palatinus contra Badenſes ſit actor. Quod ſi Badenſibus contra Palatinum ſit actio, eadem Auſtre-

(*y*) *Einung.*

(*z*) Die Zuſätze.

(*a*) Der Gemeine.

Digitized by Google

Auftregalis Judicii obfervabitur ratio, nifi quod communis arbiter, ex Confiliariis Palatinis fumendus, diem judicii, Bruchfalæ habendum, indicet atque judicio præfit. Arbiter communis debebat effe indigena, ab omni obligatione liber. Hæc fœderis A. 1455. initi fumma.

Eodem anno Marchio nofter Georgio de Schauenburg, ex Ortenaviæ Nobilibus, adventitios inter Ellum Alfatiæ & Scheram homines dedit in feudum. (*b*)

A. 1456. Carolus ordini Antonianorum Ecclefiam in Niemburg prope Emmedingam tradidit.

A. 1457. idem Carolus cum civitate Argentinenfi quinquennale fœdus percuffit contra quofcunque. Moguntinus Antiftes & Fridericus, Palatinus Elector, excepti. (*c*)

§. IX.

At anno fequenti mutata fuit animorum tranquillitas. Tum enim Carolus cum Theodorico Moguntino, Ludovico Bipontino, Alberto Auftriaco, Alberto Brandeburgico, Ottone Stephanoque Palatinis, Ulrico & Eberhardo, Wirtenbergæ Comitibus Spiræ celebravit Conventum, cui etiam ex Comitum ordi- Conventus Spir. contra Palat.

(*b*) ALSAT. ILLUSTR. Tom. II. pag. 694.

(*c*) Die Lunæ poft feftum Pentecoftes. Inftrumentum in fcriniis Argentinenfibus extat.

CAROL. I.

ne plures interfuerunt. Actum ibi de fœdere contra Fridericum Palatinum, cujus potentia cunctis ad Rhenum formidanda Principibus. Plerique de acceptis a Palatino injuriis conquesti sunt. Consiliis vero in diversa abeuntibus re infecta discessum est. (*d*) Carolus tamen cum Ludovico Bipontino decennale condidit fœdus. Ulricus Wirtembergæ Comes in Fridericum solus tum arma capessivit. Hic Margaretham, Sabaudicam principem, Amadei I. Ducis filiam, Ludovici Palatini Electoris viduam, duxerat uxorem; cujus dotem a Friderico fratre injuste detineri causatus est.

Turbæ cum Wirtemberg.

Carolus Badensis de finibus cum Ulrico lites tum alens, infesta Wirtembergico agro intulit signa. Mox tamen cum Ulrico in gratiam rediit, (*e*) contra communem ut se defenderet hostem. Socium inter eos fœdus paulo post initum reperio, (*f*) utrique funestum.

Flagrantibus Wirtembergicum inter & Palatinum discordiis, Carolus Ganerbiale Castrum Schauenburg, prope Oberkircham in Ortenavia situm, quod Nobiles Schauenburgici ab Ebersteinio Comite aliqua ex parte tenebant in feudum, occupavit. Palatinus, Præfecturæ Ortenavicæ dimidiæ possessor, composito

(*d*) LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. cap. 102. pag. 850.

(*e*) HACHENBERG. *in vita Frid. I.* Lib. II. pag. 59.

(*f*) De fœdere Carolum inter atque Ulricum A. 1460. die Martis post Matthæi inito, egit DATT *de pace publ.* Lib. I. cap. 27. num. 109.

Digitized by Google

CAROL. I.

Wirtembergico bello, Badenſe præſidium ejecit, priſtiniſque poſ-ſeſſoribus reſtituit Caſtrum. (*g*)

§. X.

A. 1459. Carolus noſter poſt Bernhardi fratris obitum totius Marchiæ regimen ſolus accepit.

Eodem anno ad Conventum Mantuanum, quem Pius II. Pontifex belli Turcici cauſa indixerat, cum Eiſtettenſi & Tridentino Epiſcopis, accepta a Cæſare poteſtate, contendit. (*) In eo Conventu Pontifex privilegia de exemtione ſubditorum ab exteris & Weſtphalicis præſertim Judiciis, Marchioni ab Imperatore collata, hac lege firmavit, „ ut ejus ſubditi & terrigenœ ac etiam
„ eis commiſſi & pro quibus reſpondere tenentur, quique in
„ eorum tuitione (ADVOCATIA) conſiſtunt, non debeant
„ nec poſſint extra eorum dominia & judicia ordinaria patriæ
„ pro quacunque cauſſa evocari, trahi aut citari, dummodo
„ conquerenti coram ordinario judice juſtitia non denegata
„ fuerit. „

Conventus Mantuan.

Occulta Judicia, quæ vocabantur Weſtphalica, apud Germanos tum adhuc viguerunt. A. 1459. Carolus Eslingæ Civita-

Judicia Weſtphalica.

(*g*) KEMNAT. *Cod. Mſcpt. Palatinus* & ex eo HACHENBERG. Lib. alleg. pag. 62. In eadem Ortenavia Neuenſtein fuit feudum Badenſe. Adi ALSATIAM ILLUSTR. Tom. II. pag. 694.

(*) GOBELINUS *Commentar.* Lib. III. p. 87.

Digitized by Google

CAROL. I.

ti quæ clientelam ejus agnoverat, per legatum injunxit, ne quis Civium Judicii Weſtphalici reciperetur Scabinus: Si qui autem jam fuerint recepti, ad judicia illa ne traherent concives; ſed citationes, ab his judicibus factæ, in aulam ſuam mitterentur. Carolus inter ipſos Conſiliarios ſuos tum habuerat Judicii Weſtphalici Scabinos, ad quos ante biennium Eslingenſis Civitas pro illorum temporum provocaverat more. (*) At A. 1461. Carolus cum Friderico Palatino Electore, cum Ruperto Argentinenſi Antiſtite, Alberto Archi-Duce Auſtriæ, aliisque Principibus & Civitatibus Imperii adverſus Weſtphalica Judicia fœdus contraxit. (**) Maximilianus I. A. 1512. ea penitus aboluit.

§. XI.

Turbæ Mogunt. A. 1460.

Eodem anno (1459.) mortuus eſt Theodoricus Moguntinus Elector. Pars Capituli Dietherum Iſenburgicum, pars Naſſoviæ Comitem Adolphum elegit Antiſtitem. Fridericus Palatinus Adolphum, ſuffragiis licet inferiorem, defendendum ſuſcepit. (*h*) Carolus Marchio, cum fratre ſuo Johanne, Trevirenſi Archiepiſcopo, Johanne Spirenſi, Ludovico Bipontino Duce, Alberto Bran-

(*) DATT. *de pace publ.* Lib. IV. Cap. 4. num. 10. 11. 12. 67.

(**) Inſtrumentum exhibet MULLER. in *Reichstags-Theatro ſub Frider. IV.* I. Vorſtell. Cap. IX. p. 126.

(*h*) SERARIUS *Rerum Moguntiacarum* Lib. V. pag. 774. HELWICHIUS *de diſſidio Moguntino* Sect. I. num. 5. pag. 138. Tom. II. *Rer. Mogunt.*

Digitized by Google

deburgico & Ulrico Wirtembergæ Comite, in Dietheri partes transivit. Fœderatis his Equester Nobilium Ordo quoque adhæsit. Conventus Norimbergam indictus. Invitatus Palatinus Elector, præsens ut suam ageret caussam. Confluentibus eo Principum legatis, Episcopus Eichstadiensis electus est arbiter, qui damnavit Palatinum. Ita bellum ei indictum est A. 1460. (*i*) Præcipuus turbarum auctor fuit Cæsar, gravi Fridericum prosecutus odio, spretis Imperialibus jussis, quod retinuisset Electoratum, ut supra ostendi, quodque Ludovico Bavariæ Duci, a Cæsare proscripto, subministrasset auxilia. Fridericus, firmato ad pericula animo, postquam finitimas sibi adjunxerat Civitates, atque Alberto Marchioni Brandeburgico, hosti, vicinum excitaverat hostem, Ludovicum Divitem, Bavariæ Ducem, ipse cum Ludovico, Hassiæ Landgravio, Moguntinum Archiepiscopatum adortus, occupato Schauenbergæ Castro, (*k*) ad Pfedershemium oppidum copias fœderatorum prostravit, septemque Comites, Ebersteinium, Leiningensem, Nassovium, Hennebergicum, Runckelensem, Gleichensem & Isenburgicum, Heidelbergam in ca-

(*i*) Trithemius *in Chron. Hirsaug.* & Hachenberg. *in vita Friderici I.* Lib. III. pag. 71. seqq.

(*k*) Schauenburg Castrum Archiepiscopale in Strata Montana tum a Friderico destructum. Zeiler. in *Topographia Palatinatus Rheni* pag. 30. & Joannis ad Serarium *Rer. Mogunt.* Lib. V. p. 774.

Digitized by Google

ptivitatem abduxit. (*l*). Expugnato Pfedershemio, tantum Diethero terrorem injecit, ut Badensi, Bipontino, Brandeburgico ceterisque fœderatis exclusis, particularem cum Palatino iniverit pacem.

Carolus pacis arbiter.

Hic omnem dein belli molem in Bipontinum convertit, qui post Pfedershemianam cladem Meisenhemium confugerat. Ibi a Friderico obsessus, in eas conjectus est angustias, pacem ut peteret supplex, quam interventu Caroli Badensis impetravit; qui & ipse paulo ante cum Friderico in gratiam redierat. Marchio cum Henrico Pappenhemio, Petro Cardinali & Episcopo Augustano, Johanne Eistettensi a Cæsare constitutus est, ut lites has Palatinum inter & Bipontinum componeret. (*m*).

§. XII.

A. 1460. cum Schauenburgicis Ortenaviæ & Alsatiæ Nobilibus (*n*) ob Schauenburgi & Bernbaci Arces orta sunt Carolo dissidia, inter quæ fratres ejus Georgium & Marcum, Nobiles isti ceperunt & in Isenheimensi Sundgoviæ arce tenuerunt captivos. Carolus Isenhemium obsedit. Fridericus I. Elector Palatinus, Imperialium Civitatum Alsatiæ præfectus, Goerzium de Adelsheim,

(*l*) TRITHEMIUS & HACHENBERG. locis alleg.

(*m*) Tabular. Bada-Badense.

(*n*) Schauenburgicam familiam exponit ALSATIA ILLUSTR. Tom. II. pag. 693.

ſubpræfectum ſuum miſit, ut turbas componeret. Conditiones, ſub quibus liberati ſunt captivi, in Georgii exponimus vita.

Eodem anno Carolus Dieterico de Gemmingen propter officia, patri, fratribus ipſique exhibita, caſtrum & vicum Steineck, vicos Dieffenbronn, Hamberg, Schellbraun, Hohenwarth, Neuhauſſen, Mülhauſen & Lehningen, cum juribus annexis & ſpeciatim ſilvam *Hagenſchieſs* aliaque, quæ Jacobus Marchio a Gemmingenſibus & Hirſaugienſi monaſterio acquiſiverat, literis Pforzhemii datis, in feudum conceſſit. (*o*) Liberalitas in Gemmingen.

Tunc temporis quoque a Pio II. Pontifice obtinuit Carolus, ut Parochialis S. Michaëlis Pforzheimenſium Eccleſia, cum XXI. Capellaniis, ad eam pertinentibus, in Collegiatam converteretur. (*p*) Creati ſunt XII. Canonici totidemque Vicarii. Decanus conſtitutus eſt Capituli præſes. Hoc Principi ſuo promiſit, non adquiſiturum ſe bona, quæ ei precarias, preſtarias aliave tributa perſolvunt. Collegiata Pforzheim.

§. XIII.

A. 1461. novas in Germania turbas excitavit Ludovicus Dives, Bavariæ Dux, Epiſcopum Eiſtettenſem bello aggreſſus. Imperator Ludovicum, ejusque ſocium Albertum Auſtriacum hoſtes publicos dixit, atque Alberto Brandeburgico, Carolo Baden- Turbæ Mogunt. A. 1461.

(*o*) Lünig. *Reichs-Archiv Parte ſpeciali* Continuat. III. pag. 151.

(*p*) Bulla data eſt 3. Kal. Decembr. 1460.

Digitized by Google

CAROL. I.

ſi & Ulrico, Wirtembergæ Comiti, ſummam belli in eos commiſit. (q) Expeditionibus contra Ludovicum non interfuit Carolus; de ſua ſecuritate ſollicitus. Fridericus enim Palatinus Elector, novos eodem tempore motus concitavit. Dietherus, nuper electus Moguntinus Præſul, & a Pio II. Papa probatus, libertatis Eccleſiaſticæ Germanorum defenſor, moveri non potuit, ut ſolveret Annatas, aliisque in rebus, quas Pontifex ab eo exegit, præſtaret obſequium. Depoſitus ergo Papali ſententia, eique ſuffectus eſt æmulus, Adolphus Naſſoviæ Comes, quem armis nuper defenderat Fridericus Elector. Hic jam in contraria verſus, una cum Landgravio Haſſiæ, Cattimeliboci & Iſenburgi Comitibus defendit Dietherum, Papæ Cæſarique exoſum. Dietherus Eccleſiæ Moguntinæ caſtra & oppida plura Stratamque Montanam pro ſumptibus belli tradidit Friderico Palatino; addita lege, ut omnia in poteſtate ejus manerent, donec centies mille redimerentur florenis. Mira rerum converſio. Pro Adolpho ſtant Principes, qui anno ſuperiore in eum gladios ſtrinxerant; & inter hos fratrum Badenſium triga, Trevirenſis & Metenſis Antiſtites cum Carolo Marchione. (r) Huic Adolphus ſtipendii nomine

Alges-

(q) *Am Pfinztage nach S. Margarethen Tag.*

(r) Adolphus, ex Naſſoica gente ortus, Badenſium erat patruelis. Mater ejus fuerat Margaretha, filia Bernhardi Marchionis. JOANNIS ad SERARIUM *Rer. Mogunt.* Lib. V. pag. 778.

Digitized by Google

CAROL. I.

Algeshemium, Gauubeckelenhemium, Drommershemium, Ockenhemium, Windeshemium, Kembdenium, cum vectigalibus nonnullis quoque contulit in pignus. (*s*) Palatinus loca quædam eripuit Adolpho. Marchio Elveshemium clauserat obsidione, sed re infecta recessit. (*t*)

§. XIV.

Dietheri & Palat. proscriptio.

Pius II. prosperis Friderici successibus injecturus moram, Dietherum, Fridericum & socios diris repetitis devovit. (*u*) Fridericus Cæsar publicos eos judicavit hostes; ac Imperii Civitatibus injunxit, ut a perduellium societate recederent. Dietherus, Ordinibus innocentiam probaturus, non modo a Pontifice ad generale provocavit Concilium, sed & scripto ad Principes & Civitates in publicum edito de injuria sibi facta conquestus est, injusta Pontificis sententia se dignitate privatum, quod libertatem & jura Imperii contra eum defenderit. Adolphum, Johannis Trevirensis, Ludovici Veldentini, Caroli Badensis & Joannis Nasso-

(*s*) TRITHEMIUS *in Chron. Hirsaug.* ad A. 1461. JOANNIS ad HELWICHIUM de *dissidio Mogunt.* Sect. III. pag. 161. qui insuper addit, singula hæc loca a Carolo A. 1466. Philippo Comiti Cattimelibocensi fuisse oppignerata.

(*t*) HACHENBERG. Lib. IV. pag. 114.

(*u*) A. 1462. HELWICHIUS & JOANNIS loc. alleg. pag. 163. & 164. MÜLLER. *Reichstags - Theatr. sub Frid. III. IVte Vorstellung.* cap. 22. §. 3. pag. 128.

Digitized by Google

vii auxilio fultum, contra fidem, jurejurando adſtrictam, delatum a Pontifice ſacerdotium uſurpare; ſpreto ac rejecto Principum, quos controverſiæ componendæ nominaverat, judicio. Addit porro ſocios Adolphi nexu vaſallitico ſibi eſſe devinctos; Carolum Badenſem ſibi plurium annorum ſocietate conjunctum; cujus formula cautum, ne dicto factove alter alteri injuriam inferret, ejusve hoſtibus conſilium præberet aut opem. Enumerat denique Principes, quorum arbitrio controverſiam ſubmittit. (*x*).

§. XV.

Marchio Dux belli contra Palat.

Marchio e contra & ſocii multis de cauſis defendendum ſibi Adolphum putarunt. Præcipua fuit, quod Fridericus Palatinus, contemta Cæſaris & Pontificis auctoritate, dictatorem Germaniæ ageret; omnibus finitimis minitans jugum. Imperator literis menſe Majo A. 1461. datis, (*y*) Carolo Marchioni, Ulrico & Eberhardo Wirtembergæ Comitibus bellum contra Palatinum commiſerat, (*z*) alioque anni inſequentis diplomate (*a*) Civitatibus Præfectorialibus Alſatiæ injunxerat, ut Fridericum, Cæſari

(*x*) Scriptum hoc, die Martis poſt Dominicam Lætare A. 1462. datum, exhibet LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. cap. 105. & MÜLLER. in *Reichstags-Theatro ſub Friderico III. IVte Vorſtell.* cap. 20. §. 1. p. 112.

(*y*(Die Lunæ ante Aſcenſionis.

(*z*) Die *Reichs-Hauptmannſchaft*.

(*a*) Ciliæ dato.

Digitized by Google

refractarium, non agnoscerent Præfectum, sed Marchionem Badensem. Similes literas eodem die ad Præfectoriales Ortenaviæ Civitates perscripsit, (*b*) ut supra notavi.

Fridericum ergo Marchioni graviter iratum quis tandem mirabitur, quum ad frangendas Palatini opes Cæsar uteretur Badensibus. Extat in scriniis Palatinis libellus ad Imperii Principes, acri stilo Marchionem perstringens, decennale quod fregerit fœdus & vasalliticam fidem. Marchio violenta Palatini consilia publico quoque scripto exposuit; actorum suorum caussas Cæsaris ac Pontificis judicio adscribens. (*c*)

Ut autem fortunas suas contra Palatini vim efficacius defenderet, cum Johanne Spirensi, Ludovico Bipontino & Ulrico Wirtembergico die Martis post Palmarum A. 1462. arctius fœdus inivit, quo cautum, ut junctis viribus Diethero & Friderico bellum inferrent, nec ante ponerent arma, quam in Moguntina sede confirmarint Adolphum. (*d*)

Ineunte igitur anno 1462. magnis animorum motibus instauratum est bellum; ita quidem ut cædibus, incendio, rapinis

(*b*) Extant Literæ in Tabulario Bada-Badensi.

(*c*) Apologia Marchionis, die Veneris post Exaudi A. 1462. scripta, una cum literis ad Wilhelmum, Saxoniæ Ducem, extat in MÜLLER. loc. alleg. cap. 22. p. 129. seqq.

(*d*) JOANNIS ad HELWICHIUM *de dissidio Moguntino* Sect. IV. p. 164.

CAROL. I.

utrimque sæviretur. Carolus duplici via in Palatinatum irrupit, atque obsesso Neoburgi Castro, Electorem, in Moguntinis terris hærentem, ad sua defendenda excivit. (*e*)

Philippus Burgundiæ Dux & Theodoricus Coloniensis Præsul inter belligerantes instituerunt colloquium prope Moguntiam, ubi conventum, ut re denuo cum Principibus deliberata, legati d. V. Julii cum potestate componendi pacem Francofurtum venirent. (*f*) Bada-Badense Tabularium exhibet Literas, scriptas Heidelbergæ die Mercurii post festum Corporis; ex quibus apparet, inter ipsum Fridericum & Carolum de arbitris constituendis super lites, quæ jam ab A. 1461. inter ipsos ortæ, serio actum fuisse.

§. XVI.

Pugna Seckenhemiana.

Rebus ita dispositis fama, ab ipso Friderico haud dubie sparsa, increbuit, eum cum copiis in Bavariam abiisse. Fama hac Marchio & frater ejus, Metensis Antistes, Johannes Spirensis Episcopus, Ulricus Wirtembergæ Comes excitati cum sex mille peditibus & octingentis equitibus terras Palatinas invaserunt. Heidelshemium oppidum obsidione cinxerunt; quod cum bene munitum ac defensoribus instructum deprehendissent, soluta obsi-

(*e*) Cel. KREMER. in *vita Friderici Victoriosi*, quæ jam sub prelo Lib. III. §. 27. & 31.

(*f*) NAUCLERUS ad hunc annum, HELWICHIUS *de dissidio Moguntino* Sect. VI. pag. 172.

Digitized by Google

dione, haud procul ab Heidelberga castra posuerunt. Tria peditum millia & equites quadringenti, ab Adolpho in subsidium missi, se foederatis junxerunt. Hi, relicto in castris peditatu, cum octingentis equitibus (*g*) in campo late patente Rhenum inter & Nicrum, juxta Seckenhemium, Pagi Lobodunensis vicum, palantes quum agerent, rerum suarum nimium securi, Fridericus, quem longinquum crediderant, eos ex improviso aggressus est d. XXIX Junii ex silva vicina cum mille equitibus (*h*) subito prorumpens. Singuli equites suum peditem vehebant; qui ex equis desilientes hostem imparatum adorti, ad deditionem coëgerunt. Spirensis Episcopus solus evasit. Ceteri omnes capti. Marchio cum Johanne Fleckensteinio XXVI. Dynastis & CXX. Nobilibus in Friderici Palatini potestatem pervenit. Pauci occubuerunt in prœlio. Copiæ, quæ in castris remanserant, audita Principum clade, sibi fuga consuluerunt. Victor a cæde fugientium abstinuit, copiisque reductis eodem, quo pugnatum est die, Ludovicum Bavariæ Ducem, socium, de victoria & trium Principum captivitate literis reddidit certiorem. (*i*)

(*g*) Numerum hunc ipse Fridericus victor in literis ad Bavarum ponit.

(*h*) HELWICHIUS Sect. VI. cum TRITHEMIO ait, Fridericum 700. Equites habuisse illisque 300. addidisse Dietherum.

(*i*) Literæ hæ extant apud CRUSIUM *Annal. Suevicor.* Lib. VII. Part. III. pag. 409. LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. cap. 106. pag. 865. & seq.

Digitized by Google

CAROL. I.

§. XVII.

Marchio captivus.

Principes Heidelbergam ducti XIII. mensium captivitate in arce detenti sunt. (k) Carolum præ reliquis durius habuit Fridericus, vinxitque catenis. (l)

Annus hic Moguntinæ Civitatis libertati quoque fuit fatalis. Adolphus enim, sociis suis licet devictis, animo tamen invictus urbem die XXVII. Octobr. ejusdem A. 1462. nocturno tempore occupavit sibique adeo & successoribus in perpetuum subjecit.

Typographiæ Faustianæ & Schefferianæ literarum fusarum sodales, Moguntinis huc usque muris inclusi, occasione hac per Europæum dispersi sunt orbem.

HELWICH. *de dissidio Moguntino* Sect. VII. pag. 176. In campo pugnæ monumentum victoriæ dein poni curavit Fridericus.

(k) TRITHEMIUS in *Chron. Hirsaug.* A. 1462. ex quo FREHERUS peculiari libello imprimi curavit vitam Friderici I. Palat. cui notas adjecit. GOBELLINUS in Commentariis Pii II. Lib. IX. HELWICH. loc. alleg. Traditio est, primas epulas captivis sine pane exhibitas, quod segetes perdidissent, quam rejicit FREHERUS in notis ad TRITHEMIUM de vita Friderici.

(l) Ita ANONYMUS *scriptor Palatinus* illius ævi in Tabulario Palatino Electorali servatus. GOBELLINUS in *Commentariis Pii II. Pont.* Lib. IX. pag. 121. ait: „ Carolus Badensis captus & manicis vinctus ferreis, in „ carcerem tetrum raptus est. „ Ulricus quoque Wirtenbergicus, literis ex carcere datis, conquestus est, se in vincula conjectum lignea,

Digitized by Google

Finiendis his ad Rhenum & in Bavaria turbis, liberandisque Principibus, conciliante Georgio, Bohemiæ Rege, conventus Neostadii Austriæ & Pragæ A. 1463. instituti sunt. Ad quos legati ex omni fere Germania properarunt. Composita pax inter Cæsarem & Bavariæ Ducem, sed cum Palatino victore res transigi non potuit; quod investituram Palatinatus pertinaciter ei Cæsar negaret. (*m*) Pius II. liberandis e captivitate Principibus, ad Philippum, Burgundiæ Ducem, se convertit, datisque ad eum literis & misso Francisco Toletano legato, eum hortatus est, ut afflictam Adolphi Nassovii & captorum Principum fortunam suis opibus erigeret; (*n*) sed nihil profecit. Onuphrium Tricaricensem denique præsulem & Petrum Ferrici, Decretorum Doctorem ad Palatinum ablegavit; quibus Brandeburgicus Marchio & Henricus Pappenheimius sese junxerant, Cæsaris legati. (*o*)

cippo & pedica constringi. Notanda hæc contra Hachenbergium aliosque rerum Palatinarum & Moguntiacarum scriptores, qui Fridericum liberaliter habuisse captivos perscribunt.

(*m*) Literas has Pii II. Pont. exhibet *Auctor Anonymus Paraleipom. Ursperg.* pag. 320. Helwichius loc. cit. Sect. VIII. pag. 178. & Müller. loc. alleg.

(*n*) Hachenberg. Lib. V. pag. 149.

(*o*) In Bada-Durlac. scriniis extant literæ Adolphi, Electoris Mogunt. & Alberti, Marchionis Brandeburg. ad Marcum, Canon. Argent. filium Caroli, quibus eum hortantur, ne turpes aut duras conditiones pro Patre ineat cum Friderico I. Electore Palatino.

Digitized by Google

CAROL. I.

Horum interventu Principes libertati restituti fuerunt Anno 1463. (p)

§. XVIII.

Duris conditionibus liberatur.

Carolus noster (q) Dominica Reminiscere A. 1463. Literas tradidit Electori, quibus ei pro damnis illatis, superiorem Comitatum Spanhemio-Cruzenacensem, cum omnibus, eo pertinentibus, concessit, ita tamen, ut XXXXV. mille florenorum Rheni pretio relui posset.

Eodem

(p) De conditionibus, quibus ceteri dimissi sunt Principes, vide TRITHEMIUM. TSCHUDIUS *Chron. Helvet.* Tom. II. pag. 623. seq. in lytro Principum definiendo erravit, uti & HACHENBERGIUS in *Histor. Frid. I.* Lib. V. pag. 149. ubi de Georgio Metensium præsule *quadringenta quinque millia* legitur, sed legendum: *quadraginta quinque millia* & p. 150. lin. 6. ubi de Carolo March. Badensi *quinquaginta millia* florenor. legitur, sed legendum: *quadraginta*. Erravit hic quoque ANONYMUS in *Chron. Wirtemb.* apud SCHANNATUM *Vindem. Literar.* Collect. 2. NAUCLERUS fol. 966. Item ANDREAS PRESBYTER in *Chron. Bav.* apud SCHILTER. *Script. Rer. Germ.* pag. 64. Falsa hinc inde vel erronea de hoc bello vide in ANONYMO *Chronici Thuring. & Hassiæ* in SENCKENBERG. *Select. Juris & Histor.* Tom. III. p. 435.

(q) TRITHEMIUS in *Chron.* & in *Rebus gestis Friderici Palat.* oppidum hoc *Bonheim* sive *Bensheim* vocat corrupte. Idem loc. alleg. juri quoque venandi piscandique inter Selsam & Germershemium renuntiasse Carolum falso scribit. HELWICHIUS *de dissidio Mogunt.* Sect. X. pag. 180. & *Electa Juris publici Palat.* Part. II. p. 76. 84. 154. 166.

Digitized by Google

Eodem anno & die tradidit Friderico Electori Castrum & oppida Besigheim & Beinheim, (r) cum vicis Lœchickheim, Walheim & Freudenthal, ita quidem ut XXXV. mille florenis reluibiles essent.

Renuntiavit quoque Carolus fœderi, quod cum Ulrico Wirtemberg. & Episcopo Spirensi iniverat. (s) Contractus matrimonialis, inter Caroli I. filium & Ulrici, Comitis Wirtemberg. filiam initus, hac conventione rescissus est.

Præterea XX mille florenos Electori se parata pecunia, certis temporibus pro sua & suorum liberatione soluturum die Mercurii post Judica promisit.

Die Lunæ post Oculi 1463. Carolus renuntiavit juri redimendi Heidelshemium ut & Eppingam, quam pignus Imperii Marchiones possederant; Bernhardus Marchio, Ludovico Electori Palatino pro X mille florenis oppigneraverat. (t)

Die Mercurii post Quasimodogeniti idem Carolus Friderico promisit, se intra anni spatium cum Papa & Imperatore eum reconciliaturum, litesque inter Dietherum & Adolphum compositurum esse, ex placito Electoris. Reconciliatio si non habitura sit

(r) Vide nota (q) pag. 176.

(s) Lege supra ad A. 1462.

(t) *Codex Mscrpt. Anonymi Spirensis*, coætanei scriptoris, in Palatino Electorali Tabulario & TOLNERUS in *Histor. Palat.* p. 66.

CAROL. I.

locum, XXX mille florenos, præter summas prædictas, se soluturum, Marchio promisit. Metensis Episcopus & Ulricus Wirtemberg. singuli quoque X. mille florenos Electori se soluturos spoponderant, Papa si flecti non posset.

Præter hæc omnia Pforzhemium quoque Castrum & oppidum Palatino in feudum masculinum, XL. mille florenis reluibile, offerre coactus est Marchio. (u)

Quin & juribus suis in Castrum Neuen-Beymberg, in Castrum & vallem Nanstul, renuntiavit Carolus; Friderico permittens, ut Greventhan & Leiningæ Veteris partem relueret.

Conventum est denique, ut Elector jus conductus Bretta Pforzhemium, Marchio Pforzhemio Brettam exerceat.

§. XIX.

Palatinum cum Mog. Cæsare & Pont. conciliat.

Ita cum Friderico Palatino & sociis reconciliatus est Carolus. Dietherum inter & Adolphum mox conciliavit inducias; (x) ejusdem auctoritate in pacem conversas. Dietherus oppidis quibusdam, quoad viveret, retentis, Moguntini Antistitis dignitati renunciavit. (y)

(u) A. 1740. Carolus Fridericus Marchio jus hoc ab Electore Palatino redemit.

(x) MÜLLER. in *Reichstags-Theatro sub Friderico III. IVte Vorstell.* cap. 32.

(y) GUDENUS *Cod. Dipl. Mogunt.* Tom. IV. pag. 375. GOBELLINUS in *Comment.* Lib. XII. pag. 345. HELWICHIUS & JOANNIS loco cit. pag. 189. & 190.

Digitized by Google

Post hæc Carolus de Friderico cum Pontifice Cæsareque reconciliando sollicitus, Oeringæ, Comitatus Hohenloici oppido, die Martis post Dominicam Esto mihi, A. 1464. conventum instituit; ubi præsentibus Onufrio Tricaricensi & Petro Ferrici Legatis Pontificis; Alberto Marchione Brandeburgico & Henrico Pappenhemio, Oratoribus Cæsaris, statutum, ut Fridericus Palatinus, die Lunæ post Lætare per eosdem legatos diris expediretur Wormatiæ. (z) Bulla absolutionis a Pontifice missa; adnitente præsertim Adolpho Moguntino; qui sarciendis, quæ in bello hoc acceperat damnis, triginta florenorum millia Carolo Badensi transscripsit. (a) Hic eodem anno triennale fœdus cum Eberhardo Wirtembergæ Comite inivit.

Vix sopitæ fuerunt Rheni Superioris turbæ quum A. 1465. Galliæ Belgicæ motus eum vocarunt ad Mosam; de quibus in fratris ejus Marci differemus Historia.

§. XX.

A. 1467. Henricus Wirtembergæ Comes, Coadjutor Moguntinæ Ecclesiæ ab Adolpho creatus, propter constantem Friderici Palatini dissensum, arbitrali Caroli Marchionis sententia di- Acta ab A. 1467.

(z) JOANNIS ad SERARIUM *Rer. Mogunt.* Lib. V. p. 780.

(a) JOANNIS ad SERARIUM loc. alleg.

CAROL. I.

gnitatem iterum depoſuit, præfectura Biſchoffshemiana ſibi modo ſervata. (*b*)

A. 1468. Sigismundus Dux Auſtriæ ut & Equeſter D. Georgii in Suevia ordo, fœdere Villingæ inito, fœderis judicem Carolum Marchionem conſtituerunt. (*c*)

Eidem Fridericus IV. Imp. propter operam, quam exercitus Imperii Præfectus nupero bello Cæſari navaverat, ſpeciale privilegium tribuit, (*d*) ut qui in Marchicis terris habitarent, dubiis natalibus orti, (*Baſtard*) ſolius Marchionis, nec ullius alterius juri ſubeſſent. Sed & alio diplomate a Cæſare tum obtinuit Marchio, ut impediendis vectorum fraudibus, intra unum a Pforzhemio milliare, non ſuper conſueta tantum, ſed alia quacunque via exigi poſſet vectigal.

Auſtriacam Alſatiæ & Briſgoviæ Præfecturam tum temporis adminiſtraſſe Marchionem, jam alibi obſervavimus. (*e*)

(*b*) GUDENI *Cod. Diplomat. Mogunt.* Tom. IV. pag. 402. & JOANNIS ad SERARIUM loc. alleg. pag. 784.

(*c*) DATT de *Pace publ.* pag. 249.

(*d*) Datæ ſunt literæ Græcii die S. Marci. Extant in LUNIGII *Reichs-Archiv Part. Spec.* Cont. II. *IVte Abtheiluug, neynter Abſatz* pag. 942. & in SCHILTERI *Scriptor. Rer. Germ. inter Diplom.* pag. 99.

(*e*) ALSAT. ILLUSTR. Tom. II. pag. 598. Præfectura hæc Auſtriaca Alſatiæ & Brisgoviæ diverſa fuit a Præfectura Alſatica decem Civitatum, quæ Imperialis, non Auſtriaca fuit.

Digitized by Google

Carol. I.

A. 1469. Carolus ulteriorem Spanheimensem Comitatum, pignoris jure, Palatino tradidisse scribitur; (*f*) quo anno cum Eberhardo & Ulrico, Comitibus Wirtembergæ, fœdus Brettæ contraxit; (*g*) sequenti tamen anno ipse & Stauffenbergenses Alsatiæ Nobiles iisdem Wirtembergicis bellum denuntiarunt; vicis aliquot exustis compositum. (*h*)

§. XXI.

Acta ab A. 1471.

A. 1471. Carolus cum Christophoro filio ad Comitia Ratisbonensia se contulit; quæ belli Turcici causa Fridericus Imp. indixerat. Hic Ratisbonæ agens, Carolo ejusque successoribus & subditis perpetuam immunitatem a vectigali Kogenheimensi prope Benfeldam Alsatiæ concessit, (*i*) quod a Wilhelmo, Argentinensi Episcopo, Hittenhemii & Matzenhemii erectum, a successore Ruperto in Kogenheim translatum. Imperator vectigal hoc tanquam illicitum & absque consensu decessorum suorum institutum perstringit.

(*f*) *Electa Juris publici Palatini* Part. II. p. 166.

(*g*) Datt pag. 194. & 249.

(*h*) Crusius *Annal. Suev.* Lib. VII. Part. III. p. 431. & Herzog. *Chron. Alsat.* Lib. II. p. 127.

(*i*) Die Lunæ post Margareth. Extat Diploma in Lunig. *Reichs-Archiv* loc. cit. p. 943. & Schilter. loc. alleg. p. 100.

In iisdem Comitiis legati quum comparuissent Spirenses, deprecaturi bellum, quod Friderico Palatino Imperator indixerat, causam suam Carolo Marchioni, quod magna ejus apud Cæsarem auctoritas, commendarunt. Carolus ab Imperatore impetravit, ut Spirensium legati ad solium ejus admitterentur. Marchione itaque cum filio & Rudolpho Sulzensi præsentibus legati suas exposuerunt rationes, ob quas Ludovico Veldentino, quem Cæsar militiæ Imperiali contra Fridericum Palatinum præfecerat, auxilia ferre nequirent. Cæsar eos benigne audivit, & Marchione interprete usus, Spirensibus remisit militiam. Cæsar id quidem literis firmare negavit; at per Marchionem Moguntino Electori injunxit, ut responsionem, quam Spirensibus dederat, actis Cancellariæ inferret. (*k*)

Sub finem A. 1471. Carolus cum Christophoro filio & Georgio fratre, Metensi Episcopo, Heidelbergæ in Aula Friderici Electoris versatus est, litibusque Wertheimenses inter Comites & Wallbronnenses Nobiles componendis operam impendit; (*l*) anno sequenti terminaturus dissidia inter Consules Spirenses, quæ dirimenda ei commiserat Cæsar. (*m*)

(*k*) LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. cap. 111. p. 882. seq. MÜLLER. in *Reichstags-Theatro sub Friderico III. Vte Vorstell.* cap. 10. p. 426.

(*l*) BURGERMEISTER. *Cod. Dipl. Equest.* Tom. I. p. 833.

(*m*) LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. cap. 118. p. 921.

Digitized by Google

A. 1472. Corolus Stützheimensem pagum Hattstadiensium, Alsatiæ nobilium, interitu ad Imperium redeuntem, a Friderico IV. Imperatore obtinuit, quem ille dein Reinholdo Volschio de Ober-Ehenheim tanquam subfeudum concessit. (*)

§. XXII.

A. 1473. Fridericus IV. Imp. Carolum Badæ invisit, ultra mensem cum eo versatus. Ibidem Rupertum Argentinensem Antistitem de Episcopatu& regalibus investivit. Marchio dein Cæsarem comitatus est Argentinam, & inde Treviros, (n) ubi Carolus Audax, Burgundiæ Dux, a Friderico Imp. Geldrici Ducatus investituram accepit. (o) Burgundi magnificentiam in Conventu hoc mire extollunt illius temporis Annales. (p) Acta ab A. 1473.

A. 1474. Carolus Margarethæ Albæ feminarum Abbatissæ literas commendatitias ad Episcopum Spirensem, pro obtinenda confirmatione concessit, simulque Steinensem Sculterum monasterio præfectum assignavit. (q)

(*) De Stüzheimensi hoc pago agit ALSATIA ILLVSTR. Tom. II. p. 259.

(n) PETRI *Suevia Eccles.* pag. 679. KOENIGSHOV. *Contin.* p. 368. PARALIPOM. URSPERG. pag. 326. LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. cap. 112. pag. 892. MÜLLER. in *Reickstags-Theatro sub Friderico III. Vte Vorstell.* cap. 32. p. 556.

(o) MAPPII *Annales Cliviæ Ducum* Tom. III. p. 22.

(p) COMINAEUS Lib. II. cap. 8.

(q) *Scriptum Bada-Badensium contra Frauenalb Documentor.* p. 110.

Digitized by Google

CAROL. I.

Idem eodem anno legatos ſuos cum Electoris Palatini legatis ad Carolum, Burgundiæ Ducem, miſit Briſacum, quum hic Brisgovicas & Alſaticas Domus Auſtriacæ terras a Sigismundo Archiduce A. 1469. oppigneratas, (r) inviſeret. Sed & paulo poſt Marchio nuntios miſit Baſileam, qui de Brisgovia & Alſatia Auſtriaca, ex manibus Caroli Audacis liberanda cum Sigismundo Archiduce, cum Baſilienſi & Argentinenſi Epiſcopis, cum Civitatibus & Electore Palatino deliberarent. Paulo poſt in Conventu Conſtantiæ, Martio menſe, conventum, ut Carolo Audaci octogies mille florenorum ſumma redderetur, atque adeo Sundgovia & Brisgovia Auſtriacæ ex ejus manibus reciperentur. Tum vero Sigismundus Auſtriacæ Domus nomine renunciavit juribus in terras, quas Helvetii Auſtriacis, Conſtantienſis Concilii tempore, abſtulerant. (s)

Eodem anno Carolus legatos quoque ſuos ad Comitia Auguſtana ablegavit, (t) in quibus expeditio contra Carolum Burgundiæ Ducem, qui Noveſium obſederat, decreta eſt. Carolus cum Chriſtophoro filio in auxilium profectus eſt Cæſaris; cumque

(r) TSCHUDI *Eydgenoſſiſche Geſchichten* Part. II. Lib. XIV. p. 708. STUMPF. *Schweizer-Chronic* Lib. XIII. cap. 16. pag. 737. PONTUS HEUTERUS *Rer. Burgund.* Lib. V. cap. 10.

(s) URSTIS. *Chron. Baſil.* Lib. VI. cap. 5. p. 437. HERZOG. *Chron. Alſat.* Lib. II. pag. 121.

(t) LEHMANN. *Chron. Spir.* Lib. VII. cap. 113. p. 901.

Digitized by Google

que exercitus Imperii, relicta Colonia, contenderet Novesium ipse cum Friderico Imp. & Alberto Brandeburg. aliisque Principibus novissimum secutus est agmen. (*u*)

§. XXIII.

Motus hi induxerunt Carolum nostrum, ut eodem anno 1474. Ortenaviæ Nobiles, ab Imperio pendentes, ad XV. annorum fœdus ineundum impelleret. Primordia hæc Corporis Equestris Ortenaviæ; cujus finis erat securitas publica, Austregarum introductio; Pacis publicæ primitiæ. Constitutus est Director, (*Hauptmann*) qui cum assessoribus lites dijudicaret, ferretque sententias. Windeckii, Bachii, Rœdereri, Stauffenbergii, Schauenburgii, Neuensteinii, Pfauii, Kroschweylerii, præcipua erant novi hujus corporis membra, quod ad Comitia olim Cæsar vocavit. (*x*) Corporis Equestr. Ortenav. origo.

§. XXIV.

Carolus partes aliquas vici Königsschaffhausen comparavit; Castrum Heidweiler cum vicis Balrechten & Dottingen permutavit, quos deinceps Trutperto, Dynastæ in Stauffen, dedit in feudum. Accessiones terrarum.

(*u*) FUGGER *Oesterr. Ehrenspiegel.* Lib. v. cap. 24. p. 815.
(*x*) DATT *de pace publica* Lib. III. cap. 6. num. 14. pag. 543. & Lib. V. cap. 4. num. 18. pag. 583.

Digitized by Google

Ginglingam cum pacto retrovendendi acquisivit. Bickensohl, Nimburg, Bottingen & vici Weiler tertiam partem coëmit. (y)

Vicum Ottenbrunn cum juribus annexis suo & Bernhardi fratris nomine Wolffio Abbati Conventuique Hirsaugiensi tradidit A. 1457. vicosque Hustatt, Wiler, Scheltpronn & Hohenwart in compensationem accepit. (z)

§. XXV.

Mors & Character.

A. 1475. Carolus I. obiit peste, Badæque sepultus est. (a) Princeps togatis & sagatis virtutibus Principes inter Badenses conspicuus, apud Fridericum Cæsarem affinem gratiosus; apud Ordines Imperii auctoritate pollens; ob æquitatis famam gravissimis Imperii negotiis adhibitus. AENEAS SYLVIUS, (b) virtutis ejus bellicæ præco, clarissimis Germaniæ sui temporis Ducibus, Friderico Palatino Electori & Alberto, Austriæ Archiduci eum annumerat; quos omnium judicio habitos fuisse dignos ait, qui copiis contra Turcas educendis præficerentur.

(y) Loca sunt Marchionatus Hachbergæ.

(z) BESOLDUS *Document. Wirtenb.* p. 586.

(a) JUNGLERUS in *narratione genealogica Mscrpt. Domus Badensis.* Caroli I. & patris ejus Jacobi vitas delineatas vide in *Programm.* Cel. SACHSII A. 1757. seq.

(b) Libello de Germania cap. 67.

Digitized by Google

Carol. I.

Reprehendas in Carolo, quod animo non satis firmus & constans, in colenda tamen Imperatoris, Principis inconstantis & debilis, amicitia constantior, consilia sua ad voluntatem ejus plerumque direxit; promovendis Cæsaris commodis potius, quam suis intentus. Turbis, a quibus ille medius & spectator tranquillus abstinere potuisset, absque necessitate se immiscuit; id quod Moguntina ejus bella satis demonstrant. In utroque comparuit, Cæsari ut placeret ac Papæ.

§. XXVI.

Uxor & Liberi.

Uxor Caroli I. fuit Catharina, Ernesti ferrei Archiducis Austriæ filia, quæ voluntate & consilio Friderici IV. Imperatoris & Alberti Austriæ Ducis, fratrum suorum ei desponsata A. 1446.

Fratres sorori XXX mille Ducatorum florenorum promittunt. Jacobus Marchio totidem filio Carolo promittit & pignoris loco Dynastias Hachberg & Höhingen, quartam partem Dynastiarum Mahlberg & Lahr ei concedit.

Catharina una cum Imperatrice Eleonora & legato Pontificis A. 1463. operam dedit, ut inter Fridericum Imperatorem & fratrem ejus Albertum restitueretur concordia. (c) Obiit A. 1493. d. XI. Septembr.

(c) Roo *Histor. Austr.* Fuggeri *Ehrensp.* Lib. VII. pag. 272. sed uterque Catharinam nostram erronee *Margaritham* adpellant.

Digitized by Google

Ex ea Carolo nati ſunt Chriſtophorus, Albertus, Fridericus, de quibus ſingulis infra diſſerimus.

Unica, quam novimus, filia Caroli, Zimburga, A. 1468. deſponſata fuit Engelberto, Naſſoviæ Comiti, filio Johannis Ehrenbreitſteinii, conciliante Johanne Trevirenſi Electore, Zimburgæ patruo. (*d*) Engelbertus ex matrimonio cum Zimburga nullam ſobolem reliquit.

(*d*) Inſtr. extat in Tabular. Bada-Badenſi. MIRAEUS *Opp. Dipl.* Tom. I. p. 219, Zimburgam hanc vocat *Lutgardem*.



Digitized by Google

CAPUT IV.

B. BERNHARDUS.



§. I.

Bernhardus regimen fratri relinquit.

Post Carolum, cujus vitam exposui, Bernhardus fuit primus filiorum Jacobi; specie oris & corporis dignitate conspicuus; sanctimonia vitæ ad posteros clarus. Nativitatis ejus annus non liquet. Pater moriens A. 1453. instituit testamento, ut Georgius in Caroli, vel Bernhardi, fratrum seniorum, vel in Cæsarea aliave Aula educaretur, quam diu vigesimum quartum ætatis annum non attigisset. Bernhardus ergo patre moriente major ætate jam fuit. Unde & ipse feuda Moguntina & Spirensia A. 1454. accepit. (*a*) Assignavit ei Jacobus civitates & præfecturas Pforz-

(*a*) JOANNIS AD SERARIUM *de Rebus Moguni.* Lib. V. pag. 765. Unde ante A. 1438. natus fuit Bernhardus.

Digitized by Google

heim, Stein, Remchingen, Waldeck, Liebenzell, Altensteig & Besigheim cum vicis inde pendentibus. Georgius frater junior, terris, quas acceperat, in gratiam Caroli & Bernhardi fratrum seniorum, renuntiavit.

Magdalena, Caroli VII. Regis Galliæ filia, destinata fuerat sponsa Bernhardo; (*b*) at sponsus, vitam eremiticam eligens, Carolo fratri terrarum, quas possederat, possessionem (*c*) hoc tradidit anno; cum sociis duobus secessurus in eremum.

§. II.

In itinere Italico obit, inter Divos relatus.

Consilia hæc Bernhardi interrupit Fridericus IV. Imperator, qui eum ad omnes Europæ Principes, sacri contra Turcas belli ut classicum caneret, misit legatum. (*d*) Turcæ anno præcedenti Orientale Græcorum occupaverant Imperium. Bernhar-

(*b*) Magdalena hæc deinceps quoque desponsata Ladislao, Hungariæ & Bohemiæ Regina, qui sponsus decessit. Uxor denique Gastonis Fuxensis facta est. AENEAE SYLVII *Histor. Bohem.* cap. 69.

(*c*) Jus in terras integrum sibi servasse Bernhardum, vel ex solo documento de A. 1457. apud BESOLDUM *Docum. rediviv. Wirtemberg.* P. I. pag. 363. seq. apparet. Sed nec alia diplomata idem probantia desunt.

(*d*) AGOSTINO DELLA CHIESA *Corona Reale di Savoia*, qui eum vocat *Presidente* del Imperator Frederico III.

Digitized by Google

dus a Gallia fecit initium, ubi Carolum VII. Regem, quem socerum habere debuerat, adiit. Circa Kalendas Quintileis A. 1458. Sabaudiæ Ducem Augustæ Taurinorum invisit Ludovicum, filium Amedei VIII. qui ex Comite Dux a Sigismundo Imp. atque deinceps a Concilio Basiliensi ex Duce Pontifex Rom. sub Felicis V. nomine electus est. In Aula hac honorifice exceptus cum brevem post moram inde progressurus esset ad Calixtum III. Pontif. Romam, in Montis Calerii oppido ad Padum, vix tribus milliaribus supra Taurinum, subito morbo correptus, in Franciscanorum monasterio eodem anno decessit (e) atque in Collegiata Ecclesia S. Mariæ sepultus est, prope majus altare; (f) A. 1469. a Sixto IV. Pont. inter Divos

(e) Anonymus Palat. MS. supra jam allegatus, pag. 262. tradit Bernhardum cum duobus ex Inferiore Nobilitate itineris comitibus, quorum unus dicitur Schellenbergius, interiisse in itinere sacro, quod per mare in terram sanctam susceperit. Philibertus Pingonius *in Chronica Augustæ Taurinorum* de Bernhardo ad veritatis normam hæc scribit: „ A. 1458. mensis Julii initio Bernardus Badensis Marchio sancti-
„ monia vitæ ac natalibus clarus Taurinum ingreditur; qui postmo-
„ dum, suscepto ad pietatem itinere, Montiscalerii morbo interrum-
„ pitur & morte prævenitur. Obiit XV. Julii & ob toties repetita
„ varia miracula inter Divos est habitus„ Conf. quoque Agostino
„ dict. loc.

(f) Jusserat Bernhardus, ut in Ecclesia hac fine impensis terræ mandaretur. Frater tamen ibidem ei condi jussit monumentum, teste Pistorio *in*

Digitized by Google

B. BERN.

relatus. Consecrationis ejus acta in Chartophylacio Vicensi Episcopatus Metensis, custodiuntur. Frater Georgius, Metensis Antistes, imaginem ejus in Ecclesia Vicensi servavit. (*g*) In Abbatia S. Vitonis apud Virodunenses magna quoque B. Bernhardi veneratio. (*h*)

§. III.

Mores ejus.

Mores ejus præter alios expressit Trithemius, (*i*) & Charta, qua Sixtus IV. Bernhardum A. 1478. Thaumaturgum declarat. (*k*)

Oratione II. de vita Jacobi Marchionis p. 131. ubi in anno mortis cum plerisque errat A. 1459. eum obiisse scribens.

(*g*) VOLZYR *Histoire de la Victoire d'Antoine Duc de Lorraine contre les mescreans Lutheriens du Pays d'Aulsays* Lib. I. cap. 10. MEVRISSE *Hist. des Eveques de Metz* Lib. III. p. 569.

(*h*) CALMET *Hist. de Lorraine* Tom. II. p. 705.

(*i*) *Chron. Hirsaug.* ad A. 1465. p. 459. sq.

(*k*) ANTONIVS MOMBELLVS Civitatis Montiscalerii Patricius librum de vita ejus conscripsit, cujus rubrum: *La Corte santificata dalla vita & dalle virtu del B. Bernardo Marchese di Baden, Protettore della Citta di Moncalieri.* Taurini 1722. 4to. Idem MOMBELLVS Poëma de B. Bernardo scripsit, & Serenissimo Marchioni Ludovico Badensi dedicavit, quod Poëma Biographiæ annexum. Ante eum JO. BAPT. PLANCARDI Italico quoque sermone Beati Bernardi vitam conscripsit; quem librum in idioma Teutonicum transtulit JO. HORNIG. e societate Jesu, 4t. Argentinæ A. 1686. Georgius Metensis Episcopus, frater Bernhardi,

Digitized by Google

Pontifex hic Bulla A. 1480. data Eporegiensi injunxit Episcopo, ut in vitam & miracula Bernhardi inquireret. Inquisitio instituta A. 1481. a Guillermino Catya, juris utriusque Doctore & Archidiacono Taurinensi, Sedis Apostolicæ Protonotario & Episcopi Taurinensis Vicario, qui, auditis testibus, XXXVIII. miracula, in Diœcesi Taurinensi facta, collegit. Pontifex ea de re Chartam misit ad Marchionem Badensem, fratrem defuncti, (*l*) quæ cum cilicio in Bada-Durlacensi Tabulario servatur. (*m*)

Ex scriptoribus domesticis Bernhardum FRANCISCUS IRENICUS extulit. (*n*)

A. 1478. ad Senatum Moncaleriensem nuncios miserat de canonisatione fratris deliberaturus cum illo. Literas Georgii vid. ap. MOMBELLUM dict. loc. p. 115. sq.

(*l*) PISTORIUS in *Orat. II. de vita & morte Jacobi March.* p. 132.

(*m*) HORNIG. p. 12. ait: Pænitentiariam vestem Bernhardi adhuc in Ecclesia Moncalieriensi servari.

(*n*) *Exegesis Germaniæ* Lib. III. Cap. 101. „*Hic*, inquit, *ob omni fœditate remo-*
„ *tus, postquam mundi immundi vias ingrediebatur, solum ad imitandum*
„ *sibi Christum quæsivit, omnem antecessorum religionem superavit, futuris*
„ *exemplum reliquit. Hujus vita simplex, incorrupta, ac nulla vitiorum*
„ *pravitate irretita aut offensa erat. Hic universis renunciavit voluptati-*
„ *bus, veræ religionis sacramentum sequebatur. Quicquid ad divinæ ma-*
„ *jestatis cultum attinebat, ab illo nihil videmus prætermissum: nullus so-*
„ *mnus huic in delicto mortali surrepsit: penitus etiam sese a sæculari ne-*
„ *gotio, divinis muneribus alioqui destinatus, subtraxit: patrimonium*

Digitized by Google

§. IV.

Nummi. Perennibus metallis memoriam & imaginem ejus insculpi curavit Christophorus Marchio, Beati nepos ex fratre. Diversi quatuor nummi alii supersunt, Marchionis hujus jussu excusi, quos in nummorum Badensium serie suo loco proferimus.


„ *amore Christi, ut nunquam ab eo oculos haberet remotos, libere suis fratribus addixit, iis contentus tantum, quae ad vitae suae sustentationem ac tutelam necessaria requirebantur. Hunc inde per hujus saeculi tenebras raptum, vitae suae finis consentaneus excepit, postquam sibi bonis operibus, nobis exemplo respondebat, ac satisfecit, memoriam suam consecravit sempiternam: in oppido Lotharingiae, Mumpelir dicto, inaestimandis coruscat miraculis: visum caecis restituit, auditum surdis reparat, nulli oculos ad eum tenenti patrocinium denegat; Hunc jam votis expetimus, ad nostram salutem sevocamus: & quicquid tristius accidit, auspicio ejus auspicatissimo ac omine corrigimus.* „ Errat IRENICVS dupliciter, Montis Calerium, Pedemontii oppidum, in quo Bernhardus decessit, *Mumpelir* vocat & in Lotharingia constituit.



CAPUT V.

JOHANNES II.

TREVIRENSIS ELECTOR.



§. I.

Johannes, tertiogenitus (*a*) Jacobi I. filius, (*b*) ex ſententia Genealogorum natus eſt d. IX. Febr. A. 1430. TRITHEMIUS diem XIV. Junii ponit. (*c*) Johannis initia.

Johannes a prima ætate eccleſiaſtico ſtatui deſtinatus fuit a patre. Hic teſtamento annuam ei aſſignavit penſionem; cujus

(*a*) Johannem Carolo & Bernhardo fratribus ætate fuiſſe minorem, facile perſpicimus, quod his inter ſe terras partientibus, Johannes ad Eccleſiam tranſiit. In teſtamento patris Jacobi Johannes Bernhardo fratri poſtponitur.

(*b*) Duplicem errorem errat BROWERUS *Annal. Trevir.* Lib. XIX. pag. 290. ubi Johannem Bernhardi Marchionis & Margarethæ Lotharingicæ filium ſcribit.

(*c*) *Chron. Hirſaug.* ad A. 1430. Scriptor hic qui in definiendo die natali Jo-

Digitized by Google

Joh. II.

dimidia pars, simulac beneficium ecclesiasticum obtinuerit, cessaret: altera quoque extingueretur, si ad Episcopatum pervenerit.

Juvenis ille nondum confirmatæ ætatis in Moguntina, Trevirensi & Argentinensi Ecclesiis Canonicatus accepit. (*d*)

§. II.

Fit Elector Trevirensis.

A. 1456. (*e*) mortuo Jacobo Sirckano, Electore Trevirensi, a XV. Canonicis Capitularibus Archiepiscopus designatus est, die XXI. mensis Junii. (*f*) Ex opposita parte quatuor ele-

hannis Archiepisc. horam cum minut. notat, sibi ipsi contrariatur. A. 1456. ubi de electione ejus in Archiepiscopum agit, nonnisi XXII. ætatis annos ei tribuit. A. 1503. quo obiit Johannes, LXXIX. annos eum compleviſſe scribit.

(*d*) SERARIUS *Rerum Moguntiacarum* Tom. II. p. 339.

(*e*) PETRUS MERSSAEUS CRATEPOLIUS in *Catalogo Archiepiscoporum Trevir.* Cap. 100. electionem hanc in A. 1449. Basilienſis Lexici Concinnatores in A. 1451. Johannis electionem rejiciunt, quibus annis superstes fuit Jacobus, Johannis decessor, uti diplomata apud HONTHEMIUM ostendunt. In Instrumento renuntiationis, quo Georgius Marchio renuntiat suis juribus A. 1454. Johannes adhuc vocatur Marchio, & Alberto Brandeburgico postponitur. AENEAS SYLVIUS in *descriptione Germaniæ* Cap. 13. electionem ejus sub Calixto III. ponit, qui nonnisi A. 1455. creatus est Papa.

(*f*) GESTA TREVIR. *Mscpt.* apud HONTHEM. *Hist. Trevir. Dipl.* Tom. II. p. 426. not. a). TRITHEMIUS *Chron. Hirsaug.* ad A. 1456. BROWER.

Digitized by Google

gerant Johannem, ex Bavariæ Ducibus, Stephani filium, cui Philippus Burgundiæ Dux, Princeps vicinus & potens, maxime cupiebat. (*g*) Alii Diethero Isenburgico adhærebant, Ecclesiæ Moguntinæ & Trevirensis Canonico, qui dein ad Moguntinam sedem evectus. At suffragiorum numero & auctoritate præstabant, qui Archiepiscopum postulabant (*h*) Johannem nostrum Badensem, quem præter natalium splendorem, ingenii vires morumque svavitas commendarunt præ aliis. (*i*)

Annal. Trev. Lib. XIX. p. 219. add. Inscriptio apud BROWER. loc. cit. pag. 306.

(*g*) ANONYMVS PALAT. p. 185. Johannem hunc Palatinum neque TRITHEMIVS, neque GESTORUM TREVIRENSIVM *Auctor Anonymus* memorant; qui Dietherum modo Isenburgicum Johannis Badensis æmulum produnt; at meminit ejus AENEAS SYLVIVS, qui de electione hac Trevirensium ita scribit loco allegato: „ Cujus (Johannis) ætatis defe-
„ ctum singularis virtus redemit & majorum suorum imagines suppleve-
„ runt. Nam familia Badensis, claris illustrata titulis, nullum unquam
„ non egregie sapientem virum produxit. Annuit votis Capituli Rom.
„ Præsul, quamvis Philippus, Burgundionum princeps potentissimus,
„ ac de Romana Ecclesia optime meritus, alium ex Domo Bavariæ in
„ illa ecclesia peteret, suis circumdata dominiis, Pontificem. Add. cap. 75.

(*h*) Johannes tum circiter XXVI. annos habebat, unde postulari, non eligi poterat, adeoque dispensatione Summi Pont. opus habuerat.

(*i*) GESTORVM TREVIR. Auctor *optimæ eum indolis & acuti ingenii pro*

Digitized by Google

JOH. II.

Hic altero ſtatim poſt electionem die, comitante Carolo Marchione fratre, palatium ingreſſus, plura Eccleſiæ Trevirenſis Caſtra in poſſeſſionem accepit. Miſſis Romam legatis, magno labore, gravibusque impenſis a Calixto III. Pontifice confirmationem obtinuit, quam Dietherus, æmulus ejus impedire ſtuduerat. (*k*). Die XXV. Oct. a Pontifice Maximo ornatus eſt Pallio. A. 1462. conſecratus eſt Sarburgi a Georgio fratre ſuo, Antiſtite Metenſi. Quo anno etiam triga fratrum, Carolo, Georgio & Marco comitatus, pompa ſolenni Urbem Trevirenſem intravit, more majorum. Cives in ejus verba jurarunt. (*l*)

ſua ætate adoleſcentem adpellat. TRITHEMIVS ad A. 1456. principem eum *manſuetiſſimum*, *liberalem*, *affabilem*, *juſtum & rectum*, *amatorem cleri*, *defenſorem pauperum*, *ac magnificum conſervatorem ſubditorum agnoſcit*.

(*k*) GESTA TREVIRENSIA *Mſcpt.* apud HONTHEIM. *Hiſt. Trevir. Dipl.* Tom. II. pag. 426. not. a. JOANNIS AD SERARIVM *Rerum Mogunt.* Lib. V. pag. 771. KYRIANDER in *Annalibus Auguſtæ Trevirorum* Parte XV. pag. 206.

(*l*) GESTA TREVIR. cap. 170. in HONTHEMII *Prodromo Hiſtor. Trevir.* Parte altera p. 853. & 854. KYRIANDER loco alleg. p. 206. ſeqq. BROWERVS *Annal. Trevir.* Lib. XIX. p. 291. & 293. In anno conſecrationis diſſentiunt ſcriptores: KYRIANDER ad A. 1458. *Auctor Anonymus* GESTOR. TREVIR. ad A. 1462. eam refert.

Digitized by Google

§. III.

Johannes ex Badensium stirpe in Trevirensi sede fuit primus Elector. BERNHARDUS ZECHIUS (*m*) jam A. 1436. Jacobum quendam, ex Marchionibus Badæ, Genealogiæ Badensi & Archiepiscoporum Trevirensium Catalogo ignotum, Archipræsulem constituit, quem ex Saxonicis Electoralibus actis eruisse se putavit; miratus, ante se observasse neminem, tres ex Badensi Domo Marchiones intra LXX. annos Trevirense occupasse solium, Jacobum nempe suum, quem profert, Johannem & Johannis ex fratre pronepotem Jacobum. Verum enimvero efficto suo Jacobo Badensi Zechius ea omnia adscribit, quæ Jacobo ex Sirckiis Lotharingicis, decessori Johannis, haud dubie tribuenda. Hic enim Burgundiæ Ducem Ducesque Saxoniæ, Cæsareus arbiter, Confluentiam invitavit, ut eorum lites dirimeret. Hic pacta cum Wilhelmo Duce Saxoniæ inivit. Sirckius Rabano, Archiepiscopatum resignanti, successit, atque adeo inter eos Jacobus Badensis non invenit locum. (*n*) Non alius profecto illis temporibus vixerat Marchio, quam Jacobus, pater Johannis, qui omnem Mar-

Primus ex Badensium stirpe.

(*m*) *Europæischer Herold* Tom. I. p. 502.

(*n*) PETR. MERSSAEUS CRATEPOLIUS in *Catalogo Electorum Ecclesiast.* in GUALTERI (*Gruteri*) *Chronico Chronicorum Ecclesiast.* Tom. I. pag. 1470.

Digitized by Google

JOH. II.

chionatum tenuerat ſolus. Ab axiomate *Serenitatis*, (*o*) quo Wilhelmus Saxoniæ Dux Jacobum Sirckium compellat, Zechianæ conjecturæ nullum pondus accedit. Axioma hoc Principibus ſecularibus tum nondum erat ſolenne; nec in ipſa Badenſi Domo receptum ante Chriſtophorum Marchionem. Baltheus, in ſigillo conſpicuus, ad quem Zechius præſertim quoque provocat, nihil aliud quam ſimilitudinem inter Inſignia Sirckiana & Badenſia indicat. Inſigne hoc Sirckiis non modo cum Domo Badenſi, ſed & cum Argentinatibus, aliisque multis commune eſt. Florentiſſimi rerum Trevirenſium ſcriptores, BROWERUS, (*p*) CRATEPOLIUS, (*q*) HONTHEMIUS, (*r*) Jacobum hunc Zechianum ignorant, quem profecto Genealogicæ & Chronologicæ rationes excludunt.

§. IV.

Acta ab A. 1457.

Initio regiminis fœdus Comitum, Dynaſtarum, Nobilium ac Civitatum Diœceſis Trevirenſis, pro defenſione mutua jurium ac libertatum ſuarum initum, auctoritate Calixti III. Pontificis & Friderici IV. Imperatoris diſſolvit Johannes. Cum civitatibus,

(*o*) *Durchlauchter.*

(*p*) *Annalium Trevir.* Tom. II. p. 279.

(*q*) In Catalogo loc. alleg.

(*r*) HIST. TREVIR. Tom. II. p. 389.

Digitized by Google

tibus, arcibusque Nobiles in obsequium Archiepiscopi redierunt. (s)

A. 1458. Vindobonam iter instituit, ibique de feudis & regalibus solenniter investitus, præter veterum privilegiorum confirmationem, nova ab Imperatore jura obtinuit. (t)

In Moguntino bello, Johannes una cum Carolo & Georgio fratribus Adolpho contra Dietherum adhæsit, uti supra ostensum. Adolphus quartam Lansteinensis vectigalis partem pro sumtibus in bellum factis, oppigneravit Johanni, addita potestate quartam hanc colligendi, simulac Lansteinium Diethero fuerit ereptum. (u) Oppidum hoc, Confluentiæ vicinum, Dietherus firmaverat præsidiis, indeque in subjectam regionem frequentes cædes & rapinas agebat. Johannes defendendis suis finibus, & occupando vectigali, in quod jus acceperat, valido exercitu collecto, A. 1462. Lansteinium bis obsedit; at Palatinis fortiter se defendentibus, re

Bellum Moguntinum.

(s) Tabulas hujus fœderis cum mandato Frid. IV. Imp. exhibet. HONTHEIM. *Cod. Dipl. Trevir.* Tom. II. p. 423. & 428. Addatur KYRIANDER *Annal.* Part. XV. pag. 208. & BROWERUS *Annal. Trevir.* Lib. XIX. pag. 291.

(t) Diplomata exhibet HONTHEIM. loc. alleg. num. 840. Adde GESTA TREVIROR. in ejusdem *Prodromo Histor. Trevir.* Part. II. p. 853.

(u) Data est Charta Kalendis Januarii 1462. JOANNIS AD HELWICHIUM *de Dissidio Mogunt.* in SERARII *Rer. Mogunt.* Tom. II. pag. 162.

Digitized by Google

infecta discessit. (*x*) Moguntinæ hæ turbæ anno sequenti transactione sopitæ sunt. (*y*)

Diuturnas autem cum Trevirensi Civitate lites A. 1469. Johannes denique ea lege composuit, ut suprema jurisdictione sacra ac civili retenta, Scabinos creandi, triumque ex opificum tribubus magistrorum constituendorum servata potestate, cetera cum urbis magistratu communicaret, civesque a pedagio & ripatico ad tempus liberos pronuntiaret. (*z*)

Eodem anno Johannes liberorum Caroli fratris sponsalia magnifico apparatu celebravit Confluentiæ. Zimburgam neptem Engelberto, Nassoviæ Comiti; Ottiliam, Philippi Catimelibocensis Comitis filiam, Christophoro collocavit, ex fratre Carolo nepoti. (*a*)

§. V.

Acta ab A. 1470.

A. 1470. lites Johannem inter Trevirensem & Fridericum Palatinum Electorem, ut Spanheimensem Comitem, de jure in Mosellam agitatæ, Georgii, ex Badensium familia Metensis Episcopi, sententia compositæ fuerunt. Georgius Regale hujus

(*x*) TRITHEMIUS *Chron. Hirsaug.* ad A. 1462.

(*y*) Vid. supra in vita CAROLI *March.*

(*z*) BROWER. *Annal. Trevir.* Lib. XIX. pag. 297. KYRIANDER loco alleg. pag. 210. conventionem hanc conceptam quidem, sed non impletam fuisse tradit.

(*a*) BROWER. loc. alleg.

Digitized by Google

JOH. II.

fluminis a rivo *Dillemerbach* infra *Remich* usque ad Rhenum, Electori atque Ecclesiæ Trevirensi competere & ablatas piscatoribus Spanheimensibus res jure captas fuisse censuit. (*b*)

A. 1471. ad Comitia Ratisbonensia cum Marco fratre & lectissimo provincialium Comitatu profectus, institutis de bello Turcico deliberationibus interfuit. Ibidem ei & Moguntino atque Brandeburgico Electoribus cum Philippi Burgundiæ Ducis oratoribus nata contentio; qui ante Electorum absentium legatos sibi locum vindicabant. Res ita transacta est, ut Burgundici legati ante faciem Cæsaris, inter oratores regios, collocarentur. (*c*) Finitis Ratisbonensibus Comitiis Elector Cæsarem Badam & inde Argentinam secutus est. (*d*)

Universitas Trevirensis.

Antiquissimam literarum apud Treviros scholam, qua apud Germanos nulla vetustior est, ampliare jam decreverat Archipræsul Jacobus. At successor Johannes A. 1472. executus est opus. Hic acceptis duobus aureorum millibus, quos negotio huic impenderat, Nicolai V. Pontificis literas, Jacobo Archiepiscopo jam A. 1454. concessas, Senatui Trevirensium tradidit & novas insuper a Sixto IV. Pontifice impetravit. Instituta est Universitas

(*b*) HONTHEIM. *Histor. Dipl. Trevir.* Tom. II. p. 453. num. 859.

(*c*) JO. ANT. CAMPANUS *Epistolar.* Lib. VI. Ep. XII. in FREHERI *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. II. p. 296.

(*d*) KYRIANDER p. 207. GESTA TREVIROR. cap. 170.

Digitized by Google

JOH. II.

ſtudiorum ac ſolenni Magiſtratus edicto nuntiata eſt orbi die XVI. Martii 1473. Cancellariatum ejus perpetuum ſibi Antiſtes ſervavit. (e)

Eodem anno Cæſari, Treviros ad Comitia venienti, cum Chriſtophoro ex fratre nepote & ſelectis aliquot nobilium turmis, magna pompa obviam proceſſit Johannes, atque in ſumtuoſo illo Caroli Burgundi convivio ſecundum ab Imperatore tenuit locum. (f) Carolus promiſſam a Cæſare regiam cum non accepiſſet coronam, Treviris rediens, Archiepiſcopales male habuit terras.

Circa id tempus Sixtus IV. Pontifex Abbatiam Prumienſem vicinam Johanni Archiepiſcopo ad dies vitæ conceſſit; id quod Fridericus Imperator literis Auguſtæ datis, ratum habuit. (g)

§. VI.

Acta ab A. 1474.

A. 1474. Fridericus Imperator quum Carolus Burgundus Noveſium oppugnaret, exercitum ad urbem liberandam ad-

(e) KYRIANDER loco alleg. p. 268. ſqq. HONTHEIM. *Hiſtor. Treviror. Diplom.* Tom. II. p. 325. & 417. NELLERI *Jurisprudentia Trevirorum ſub Germanis* in HONTHEMII *Prodromo Hiſtoriæ Trevir.* Part. I. p. 527. & 539. ſqq.

(f) BROWER. *Annal. Trevir.* Lib. XIX. p. 300. & 302.

(g) HONTHEIM *Hiſtor. Diplom. Trevir.* Tom. II. p. 459. num. 864.

Digitized by Google

Joh. II.

duxit. Johannes noſter cum copiis eum ſecutus eſt, atque conflictui ad Noveſium inſequenti anno interfuit. (*h*)

A. 1476. cum Diethero Moguntino & Friderico Palatino, Electoribus, pactus eſt, ut a vectigalium in Rheno ſolutione nemo eſſet immunis, quo tollerentur abuſus. (*i*)

A. 1477. Johannes una cum Georgio, Metenſi Epiſcopo & Ludovico, Bavariæ Duce, legatus a Cæſare in Belgium miſſus, confirmationem matrimonii Maximilianum inter Archiducem & Mariam Burgundicam, in Conventibus Ordinum, Gandavi & Lovanii habitis, obtinuit. Omnium Ordinum Proceres cum Johanne Archiepiſcopo ejusque fratribus, Carolo & Georgio obviam Maximiliano progreſſi, Colonia Agrippina eum Gandavum deduxerunt, ubi pompa vere regia celebratæ ſunt nuptiæ. (*k*)

Idem Elector brevi poſt cum Moguntino in Galliam a Maximiliano Archiduce miſſus eſt, de ſucceſſione Burgundica terrarumque ablatarum reſtitutione cum Ludovico XI. Rege acturus. Hic Electoribus, Inſulam venientibus, ſecuritatem itineris denegavit; unde re infecta ad Maximilianum redierunt. (*l*)

Cc 3

(*h*) Browervs pag. 304.

(*i*) Hontheim. pag. 467. & 470. num. 871. & 873.

(*k*) Pontvs Hevtervs *Rerum Auſtriacar.* Lib. I. cap. 7. Fvgger. *Oeſterr. Ehrenſp.* Lib. V. cap. 26. pag. 854. & Brower. loc. cit. pag. 306.

(*l*) Fvgger loc. alleg. cap. 28. p. 877.

Digitized by Google

Joh. II.

A. 1478. exorto inter Civitatem Trevirensem & Manderscheidios bello, quum dubio sæpe marte pugnatum esset, Johannes Archiepiscopus inter eos pacem restituit. (*m*)

A. 1482. Matthias Corvinus, celebratissimus ille Hungariæ Rex, Præsuli nostro victoriam, quam Matthias Gerebius Croatiæ præfectus a Turcis ad Savi ripam reportaverat, nuntiavit, addens: „ Hujus victoriæ lætitiam cum Johanne se eo com-
„ municasse libentius, quod eum in Imperio principem unicum
„ norit, qui prosperis rei Christianæ successibus vel maxime
„ faveat. „ (*n*)

Eodem anno exorta apud Confluentinos seditio Capituli Trevirensis intercessione composita fuit. Senatus omnis cum selectis e civium ordine, ad Electoris genua prostratus, delictorum veniam petiit. (*o*)

§. VII.

Acta ab A. 1486.

A. 1486. Johannes noster cum reliquis Electoribus Maximilianum Archiducem Francofurti Regem renuntiavit, eumque & Fridericum Imperatorem honorifico Comitatu, ad peragenda coronationis solennia prosecutus est Aquisgranum. (*p*) Ibi

---

(*m*) GESTA TREVIROR. cap. 186. in HONTHEM. *Prodrom.* Part. II. pag. 874.

(*n*) Literas has exhibet BROWERUS loc. alleg. p. 308.

(*o*) HONTHEIM loc. alleg. num. 871. & 873. p. 467. & 470.

(*p*) TRITHEMIUS ad h. A. & BROWERUS *Annal. Trevir.* Lib. XIX. p. 308.

Digitized by Google

una cum Moguntino & Colonienſi coronam novo Regi impoſuit. (q)

A. 1487. in Comitiis Noribergenſibus auctoritate apud ordines & gratia floruit; pax publica ut firmaretur, fortiter contendens. (r)

A. 1488. cum Winnebergiis Nobilibus implicitus bello, Beilſteiniam arcem obſedit; ſed Johannis Bavariæ Ducis & Comitis Wirtenbergæ interventu ſunt compoſitæ lites. (s)

Eodem anno Johannes noſter cum Archiepiſcopo Colonienſi convenit, ut in decretis electionis Regis Romanorum Trevirenſis & Colonienſis nomina ſua alternatis vicibus, primo loco, ſubſcriberent. Maximilianus Romanorum Rex quum ante biennium eligeretur, primus ſubſcripſit Trevirenſis. Unde jus primæ ſubſcriptionis ſequenti electione Colonienſi competiit. Eadem alternationis ratio obſervanda in poſterum; ita tamen, ut Elector præſens abſentis præferatur legatis; utque in ſuis quisque Archi-Cancellariatibus prælationis jure, Aurea Bulla firmato, utatur. (t)

(q) *Acta Coronationis* in Freheri *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. III. p. 31.

(r) Browerus loc. alleg. Fugger in *Speculo Auſtr.* Lib. V. c. 34.

(s) Gesta Treviror. cap. 171. in Honthemii *Prodromo* Part. II. pag. 855. Kyriander in *Annal.* Part. XV. p. 208.

(t) Hontheim *Hiſtor. Diplom. Trevir.* Tom. II. num. 876. pag. 475. Hodie Elector Trevirenſis absque alternandi neceſſitate priori loco ſuffragium init, omnibusque Imperialibus decretis primus ipſe ſubſcribit. Alter-

Digitized by Google

JOH. II.

A. 1490. & 1492. varias cum Electoribus Rhenensibus de communi moneta aurea & de commercio Rhenano conventiones inivit. (u)

Jacobus Bad. Coadjutor.

A. 1493. Johannes noster Jacobum, Christophori Marchionis filium, adeoque fratris sui Caroli I. nepotem, futurum successorem elegit. Alexander VI. jus succedendi firmavit. Refragantibus quibusdam Canonicis, varias inter ambages, protracta res est, dum viveret Johannes. (x)

Hic A. 1495. Comitiis Wormatiensibus, in quibus denique Pax publica in perpetuum stabilita, interfuit. Impetravit tum Johannes diploma, quo cum veterum regalium confirmatione nova a Cæsare privilegia, & inter hæc D. Maximini Abbatem investiendi jus, accepit. (y)

§. VIII.

Bellum Boppard.

A. 1497. natum est ei cum Boppardiensibus bellum. Boppardia, Imperialis quondam civitas, jam inde a Ludovici Bavari & Ca-

natio autem ad prærogativam in eundo, stando sedendoque usu restricta est. MOSER *Chur-Trierisches Staats-Recht* Cap. 4. §. 3. seqq.

(u) HONTHEIM loco alleg. num. 881. 882.

(x) *Ibidem* num. 883. pag. 491. TRITHEMIVS *Chron. Hirsaug.* ad A. 1500. & BROWER. loco alleg. p. 315.

(y) HONTHEIM *Histor. Diplom. Trevir.* Tom. II. num. 886. 887. 888. pag. 494. sqq. add. BROWER. *Annal. Trevir.* Lib. XIX. p. 312.

Digitized by Google

& Caroli IV. temporibus Ecclesiæ Trevirensi oppignerata, ægre cum ferret libertatis jacturam, consilio nobilium Civitatis, quibus cum Archiepiscopo intercedebant lites, missis clam ad Comitia Wormatiensia A. 1495. legatis, insignia a Maximiliano Imperatore privilegia, inscio Electore, impetraverat. Revocavit ea paulo post Cæsar. At Boppardienses, ejecto Archiepiscopi Sculteto, Arcem Boppardiensem, mediocri præsidio firmatam, obsederunt. Johannes, vocatis in auxilium Philippo Palatino Electore, Wilhelmo Hassiæ Landgravio, Christophoro Marchione Badensi aliisque Principibus, cum duodecies mille militum exercitu Boppardiam obsidione cinxit & in potestatem accepit. Johannes, Palatinus Comes, lineæ Simmerensis, deditionis leges conscripsit, quibus inter alia cautum est, ut Boppardienses, salva vita, honoribus & bonis Civitatem Archiepiscopo cum omni jurisdictione & imperio traderent. Johannes autem impensarum nomine, magnas pecuniæ summas Principibus sociis erogavit, quo factum, ut exhausto ærario, Trevirensem ecclesiam debitis oneraret. (z)

(z) TRITHEMIUS ad A. 1497. pag. 564. & *Acta* apud HONTHEMIUM *Histor. Diplom. Trevir.* Tom. II. pag. 501. seqq. add. BROWER. loc. alleg. p. 314. sq. & GESTA TREVIR. cap. 171. in HONTHEM. *Prodromo Histor. Trevir.* Part. II. p. 854.

Joh. II.

§. IX.

Obitus.

Obiit Johannes ſeptuagenarius ſenex A. 1503. die IX. Febr. (*a*) Pontificatus ſui A. XLVII. ætatis LXXIII. (*b*) Pulveris pyrii incendio, ſupra conclave, in quo verſabatur, Cochemii quadriennio ante obitum orto, imminens vitæ periculum evaſerat. Corpus ejus ex Ehrenbreitſteinia arce Confluentiam translatum, atque in S. Nicolai Choro ſummi templi conditum eſt, quod ipſe ſibi dum viveret, exſtruxit. (*c*)

§. X.

Character.

Liberalitatem ejus atque juſtitiam celebrant rerum Trevi-

(*a*) BROWER. *Annal. Trevir.* Lib. XX. pag. 318. TRITHEMIUS ad A. 1503. XIX. Febr. obiiſſe tradit Johannem, ſed perperam.

(*b*) Errat TRITHEMIUS loco alleg. qui LVII. annis eum præfuiſſe atque LXXIX. ætatis annos compleſſe dicit. Errat quoque PETRUS MERSSAEUS CRATEPOLIUS, qui in *Catalogo Archiepiſcoporum Trevirenſium* §. 100. ætatis LXXIX. Pontificatus LIII. annos ei aſſignat. Ipſe BROWER. *Annal. Trevir.* Lib. XX. pag. 318. male Johannem ne ſeptuageſimum quidem annum attigiſſe ſcribit, deceptus, uti videtur, auctoritate TRITHEMII, qui eum annum ætatis XXII. agentem electum fuiſſe Archiepiſcopum prodidit, contra quæ notavimus ſupra, ubi de die natali & de electionis tempore Johannis Archiepiſc. plura diſſeruimus.

(*c*) BROWERUS loc. alleg.

Digitized by Google

Joh. II.

renfium fcriptores. (*d*) Literas amavit, quibus a teneris affueverat, ipfosque literatos fummo favore & gratia profecutus eft. Præclaram juris peritiam ejus Commentarius Juris Treverici, teftatur, quem A. 1488. publici juris fecit. (*e*) Apud Imperii Ordines propter æquitatem fuam & multiplicem rerum experientiam maxima auctoritate floruit. (*f*) Reprehenditur, quod grave æs alienum reliquerit; (*g*) quæ temporum injuriæ & cala-

(*d*) Trithemius ad A. 1456. & Browerus loc. alleg.

(*e*) Brower. *Annal. Trevir.* Lib. XIX. p. 309.

(*f*) Petrus Merssaeus Cratepolius loc. alleg.

(*g*) Trithemius ad A. 1503. hac de re ita fcribit: „ Reliquit Ecclefiam „ fatis tenuem, & ære non parum gravatam alieno, cujus inopiæ cau„ fam nonnulli triplicem affignarunt. Prima fuit bellum, quod cum „ Boppardienfibus habuit, in quo plus quam centum florenorum millia „ expendit. Secunda fuit nimia ejus in alienos clementia, quippe qui „ multis multa contulit ingratis, & qui nihil tale vel ab eo, vel ab „ Ecclefia Trevirorum meruerunt. Ex cujus ore paucis ante obitum „ menfibus audivi: Nihil, inquiebat, magis cruciat animum meum, „ quam eorum ingratitudo, quibus non merentibus benefeci: quoniam „ ecce, quos exaltavi de ftercore, fecique magnos & divites, jam con„ temnunt me, & partes contra me fequuntur mihi adverfas. Caufam „ deficientiæ tertiam fuorum quidam Alchimiftarum deceptionibus ad„ fcribentes, eum plus quam 30000. flor. in ea vanitate referunt ex„ pendiffe. Quam ipfe de fe opinionem fuorum & novit & redarguit „ effe falfam, afferens, me aliquando præfente, fub jurejurando, quod

Digitized by Google

JOH. II.

mitati adscripseris. Laudandus, quod insignes Ecclesiæ Trevirensis ditiones, a decessoribus oppigneratas, redemit; novisque Ecclesiam suam possessionibus auxit; (h) magnificis operibus dioecesin exornavit, arces plurimas, ruinam minitantes, refecit, alias de novo exstruxit, atque Trevirense palatium & Francofurtanum, ut & curiam Confluentinam restituit. (i) Memorabilis inprimis puteus, quem A. 1481. in Castro suo Ehrenbreitstein magnis impensis per rupes paravit; opus stupendum, cujus memoriam solenne monumentum & inscriptio hodieque conservat. (k) Idem

„ in Alchimistarum schola, ne dicam Sophistria, quingentos & non plu-
„ res, magistris errorum discipulus instituendus exposuisset auri flore-
„ nos. Sit ita vel non sit, tribus calamitatibus pressum constat, qua-
„ rum occasione pauper evasit.

(h) KYRIANDER *Annal. de Augusta Trever.* Part. XV. p. 207. & 208. BROW. *Annal. Trevir.* Lib. XIX. pag. 306. & Lib. XX. pag. 318. & 319.

(i) KYRIANDER loco alleg. GESTA TREVIRORVM cap. 171. BROWER. loc. cit. p. 306. & 307.

(k) Inscriptio Ehrenbreitsteinianæ arcis hæc est: ANNO DOMINI MCCCCLXXXI. VIII. MARTII JOHANNES EX ILLUSTRIBUS JACOBO MARCHIONE BADENSI ET CATHARINA LOTHARINGIAE DUCISSA NATUS TREVERORUM ARCHIEPISCOPUS INTER PLURIMA IN HOC ET CAETERIS ECCLESIAE CASTRIS EXIMIE A SE COMPLETA EDIFICIA HOC IN LOCO SCISSIS PETRIS

Digitized by Google

ſalutaribus edictis diſciplinam eccleſiaſticam emendavit, monachos atque moniales ad ſeveriorem vitam adegit, multaque præclara ſanciendis rite moribus conſtituit. (*l*) Omni gubernationis tempore, ſi Boppardienſes & alios minoris momento motus excipias, pacem nutrivit, (*m*) initoque cum finitimis fœdere firmavit. JOH. II.

§. XI.

Enimvero jam A. 1457. Unioni Electorum acceſſit. (*n*) Fœdera.
A. 1458. cum Dietero, Colonienſi Electore, peculiares amici-

AQUAM PRIMUS EXQUIRERE COEPIT DEMUM POST LABORES ET SUMPTUS IMMENSOS AQUA ABUNDE INVENTA TALITER ET FONTIS ET CIRCUMPOSITAE TVRRIS OPUS CONSUMMAVIT ANNO DOMINI MCCCCLXXXIIII. MENSE SEPTEMBRI PONTIFICATUS SUI XXIX. EST FONTIS PROFUNDITAS CCLXXX. PEDVM. BROW. *Annal. Trevir.* Lib. XIX. pag. 306. alia prorſus ratione Inſcriptionem hanc ſiſtit. Catharinam quoque Lotharingicam contorte *Margaretham* adpellat.

(*l*) BROW. loc. cit. pag. 307. & 312. HONTHEIM. *Hiſtor. Trevir. Diplom.* Tom. II. num. 847. & 854. p. 440. & 449.

(*m*) KYRIAND. loco alleg. GESTA TREVIR. cap. 171.

(*n*) HONTHEMIVS loco alleg. p. 429. num. 838.

Digitized by Google

JOH. II.

tiæ leges inivit. (o) Memorabile inprimis est fœdus, quod A. 1462. cum Philippo, Burgundiæ Duce, Bruxellis contraxit, quo Lucemburgensium ac Trevirensium ditionum securitatem mutuumque sibi auxilium pepigerunt. Triennio post Carolus, Philippi filius, Carolesii tum Comes, postea Audax dictus, huic fœderi accessit, atque separato articulo Galliæ Regem ab eo exclusit. (p) Neque tamen a Carolo permoveri potuit Johannes, ut bello ejus contra Gallos accederet.

A. 1465. Johannes cum Philippo, Catimeliboci Comite, (q) A. 1471. cum Gerhardo Juliaci, Montiumque Duce, (r) A. 1479. cum Henrico Hassiæ Landgravio, (s) fœdera percussit. A. 1480. cum Civitate Trevirensi ad vitæ tempus societatem iniit ea lege, ut adversus quamcunque vim utraque pars mutuum sibi præstaret auxilium; Electori in Civitatem, Civibus in Ecclesiæ Trevirensis castella aditus pateret, neque Trevi-

(o) IDEM loc. cit. num. 839. p. 431.

(p) HONTH. loc. cit. num. 851. & 852. pag. 445. sqq. De fœdere hoc speciatim agit HONTHEMIUS in *Originibus Politicis Trev. sub Germanis Prodromi* Part. I. p. 503. & 509.

(q) IDEM num. 853. p. 448.

(r) num. 860. p. 455.

(s) num. 868. p. 463.

Digitized by Google

renses unquam hostibus Electoris, domini sui ac principis, faverent. (*t*)

A. 1484. & 1487. Bertoldum Electorem Moguntinum, (*u*) A. 1488. Ludovicum ejusque filium Alexandrum, Veldentinos Principes, (*x*) A. 1489. Philippum Electorem Palatinum, (*y*) amicitia, mutuisque sponsionibus sibi conjunxit. Quin & eodem anno Fœderi Suevico, quod ad tuendam pacem publicam, a Friderico Imperatore Francofurti promulgatam, Sueviæ Civitates nuper iniverant, socius accessit. (*z*) Denique tabulis peculiaribus eodem tempore datis, pacis publicæ Francofurdianæ defensionem cum Sigismundo, Austriæ Archiduce suscepit. (*a*)

Titulus Electoris.

Nec prætereundum silentio, quod inter Archiepiscopos Trevirenses Joannes in Chartis & Diplomatibus *Electoris* titulo usus

(*t*) num. 870. p. 465. Ex fœdere hoc Kyriand. *Annal. de Augusta Trevirorum* Part. XVII. p. 263. & 267. adstruere nititur, Johannem Archiepiscopum liberam Imperii Civitatem Treverim censuisse.

(*u*) Hontheim loc. cit. num. 874. p. 472. Jo. ad Serarium *Rerum Mogunt.* Lib. V. p. 797. & 800.

(*x*) Num. 877. p. 478.

(*y*) Num. 878. p. 480.

(*z*) Num. 879. p. 482. & Datt. *de pace publica* Lib. II. cap. 10. num. 14.

(*a*) Datt. loc. alleg. num. 54.

Digitized by Google

Joh. II.

est primus; quamvis ante eum Imperatores & Principes axiomate hoc Archiepiscopos Trevirenses ornaverint. (*b*) Nummos ejus tres HONTHEMIUS (*c*) protulit, qui inter Badenses nostros comparent.

(*b*) HONTHEIM loc. alleg. p. 429. nota a) in fine.

(*c*) *Histor. Trevir.* Tom. II. pag. 885. & 890. *Groschen-Cabinet* Tom. IV. Tabul. XIII. num. 110. & 111.



CAPUT

CAPUT VI.

GEORGIUS

METENSIS EPISCOPUS.



§. I.

Georgius, Jacobi filius, hanc lucem adſpexit anno circiter 1433. (*a*) Hic a prima ætate deſtinatus Eccleſiæ, jam A. 1445. una cum fratribus Johanne & Marco, in Caſtro Badenſi, a Vicario Generali Spirenſi tonſuram accepit; atque A. 1454. Sabbato ante D. Laurentium portioni terrarum ſuarum renuntiavit Pforzhemii. Georgius Metenſis creatur Epiſcopus.

A. 1457. juvenis ætatis fere quinque luſtrorum a Conrado, Metenſi Epiſcopo, conſenſu Capituli, Coadjutor creatus eſt. Ca-

(*a*) MEURISSE *Hiſtoire des Eveques de Metz* Lib. III. pag. 568. Georgium

lixtus III. Pontifex eodem anno Coadjutoriam hanc literis confirmavit, & speciali privilegio indulsit, ut ad XXVII. ætatis annum usque Metensem Ecclesiam regeret Administrator atque deinceps Episcopus, sine novo diplomate. At Conrado A. 1459. defuncto, Canonici quidam Ulrico Blamontano Comiti, Canonico Metensi, Episcopatum detulerunt. Pius II. Pontifex Georgii partes defendens, factionem oppressit. Georgius, possessionem Episcopatus eodem anno adivit. (b)

§. II.

A Schauenburgicis capitur.

A. 1460. inter Carolum Marchionem, Georgii fratrem & Schauenburgicos Nobiles, de Schauenburgi & Bernbaci Castris intercesserant lites; quæ mutuæ diffidationi causam præbuerunt. Ea occasione Georgius electus & confirmatus Metensis (c)

XXIV. ætatis annum egisse tradit A. 1457. quo Metensis Ecclesiæ Coadjutoriam accepit; ut itaque secundum Meurissium annus natalis Georgii incidat in A. 1433. Consentit quodammodo testamentum Jacobi patris de A. 1453. in quo dicitur, Georgium posse educationis caussa usque ad A. XXIV. ætatis commorari vel in Caroli, vel in Bernhardi, vel alia aula.

(b) MEURISS. loco alleg. p. 568. sq.

(c) Georgius tum nondum consecrationem acceperat, unde in literis Tabularii Schauenburgici dicitur: *Erwehlter und bestätigter zu Metze.*

Digitized by Google

una cum fratre Marco, a Schauenburgicis fratribus, Georgio, Reinhardo & Friderico in Alſatia captus, Iſenhemii, quod Alſatiæ Caſtrum ſupra Rufacum jacet, in cuſtodia detentus eſt. Carolus Marchio fratribus ſuis liberandis cum Petro de Moersperg, Præfecto Auſtriaco, pluribusque Nobilibus Metenſis Eccleſiæ, Iſenhemium eodem anno obſedit. At Goetzius de Adelsheim, Subpræfectus Palatinus, a Friderico Electore, ut Cæſareo Alſatiæ Præfecto, tum miſſus, rem ad concordiam reduxit. Georgius & Marcus ſine pretio liberati. Lites vero inter Badenſes & Schauenburgicos Friderici Palatini arbitrio delatæ. Carolus Marchio actioni, in Judicio Cæſaris Aulico contra Schauenburgicos inſtitutæ, renunciavit. (*d*)

Eodem tempore Fridericus Schauenburgicus partem Iſenburgici Caſtri cum Terris in Mundato ſuperiori, in Sundgovia & omni Auſtriaca ditione, quas ipſe vel conjux ejusque ex priore cum Stauffenbergico Nobili matrimonio filius tenue-

(*d*) Literæ hac ſuper re die Jovis ante Bartholomæi datæ, in *Tabulario Schauenburg.* ſervantur. add. Caroli I. vita ad A. 1460. & Alsatia Illustr. Tom. II. p. 69.

GEORG.

rant octo millium & quadringentorum florenorum pretio in Georgium nostrum transtulit. (e)

Hic A. 1461. solenni pompa Metensium Civitatem intravit, comitantibus eum Carolo Marchione, Johanne Trevirensi & Marco Coloniensi Canonico, fratribus suis, qui cum Nassoviæ Comite aliisque Principibus & septingentis equis advenerant. Georgius tum vasallos Metensis Ecclesiæ, Comites Nassoviæ, Salmenses, Blamontanos, Lichtenbergicos aliosque investivit de feudis. Sarburgum oppidum Domino Vinstringæ tradidit. (f)

§. III.

A Palatino quoque captus.

Concitato inde Moguntino bello, Adolphi Nassovii partes una cum Johanne Trevirensi & Carolo Marchione fratribus secutus est. Adolphus literis die Veneris post Ascens. A. 1462. datis, de damno, si quod acciperet, Georgio cavit, quingentos annuatim florenos ex Lohnsteinensi portorio, utprimum expugnaverit oppidum, se ei soluturum promittens. (g) At paulo post

(e) Literæ modo allegatæ.

(f) MEURISS. *Histoire des Eveques de Metz* p. 568. sqq.

(g) JOANNIS ad HELWICHIUM *de diffidio Mogunt.* in SERARII *Rer. Mogunt.* Tom. II. p. 162.

Digitized by Google

GEORG.

Georgius infelici ad Seckenhemium prœlio cum Carolo fratre captus, annuam, & quod excurrit, captivitatem transegit; quadragies & quinquies mille florenorum lytro redimendus. Præterea tres arces, quas in Lotharingia habebat, Bergardum, S. Theobaldum & S. Crucem Palatino tradere, & de innocentia ejus Pontificem æque ac Cæsarem docere, curareque, ut omnem adversus eum simultatem deponerent, coactus est. (*h*)

Adolphus Archipræsul anno sequenti Georgio pro acceptis damnis triginta florenorum millia transscripsit. (*i*)

§. IV.

Lites cum Metensibus.

Durante hoc bello Metenses, Dietheri Isenburgici partes amplexi, quum A. 1462. Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, Adolpho faventes, expulissent civitate, a Pio II. diris devoti sunt. Ca-

(*h*) Vide supra in Carolo I. TRITHEMIUS in *Chron. Hirsaug.* ad A. 1462. HELWICHIUS loc. alleg. p. 180. & 181. HACHENBERG. in *Historia Friderici I. Palat.* Lib. V. pag. 149. Postrema hac conditione Georgius, conciliato paulo post cum Pontifice Cæsareque Palatino, liberatus est. JOANNIS ad SERARIUM *Rerum Mogunt.* Lib. V. Tom. I. p. 780.

(*i*) JOAN. loc. alleg.

Digitized by Google

GEORG.

nonici bonis reditibusque ſpoliati apud Muſſipontanos primum, dein Vici ſubſtiterunt, donec poſt quinquennale exilium redeundi in urbem ipſis fieret poteſtas. A. 1467. Georgius Epiſcopus, cui totius negotii curam demandaverat Pontifex, Canonicos Civitati, Civitatem Pontifici conciliavit: quo temporis intervallo urbem identidem inviſit, liteſque de cenſuum quorundam ſolutione cum Metenſibus amica transactione compoſuit. (k)

A. 1470. Georgius arbiter fuit difficultatum inter fratrem, Trevirenſem Archiepiſcopum & Fridericum Palatinum. (l)

§. V.

Acta ejus reliqua.

A. 1473. Fridericum IV. Imperatorem Metas venientem, magnifice recepit. (m) Imperator Treviros ad Comitia abiit. Georgius cum Carolo fratre, aliisque Principibus eum ſecutus eſt. Ibi cum de regia Caroli Burgundi ageretur dignitate, eumque in finem omnia præpararentur, Georgio ſacrandi inungendique novi

(k) MEURISS. loco alleg. Lib. III. p. 570. ſqq.

(l) Vide ſupra in vita Johannis Archiepiſcopi.

(m) MEURISS. loc. alleg. p. 588.

Digitized by Google

Georg.

Regis partes demandatæ fuerunt. At ſubita profectio Cæſaris hæc omnia intervertit. (n)

A. 1474. Georgius auctor fuit pacis inter Civitatem Metenſem & Lotharingiæ Ducem, inopinato Civitatem bello qui fuerat aggreſſus. (o)

Sed honorifica præſertim fuit ſolennis ejus ad Belgas legatio, quum A. 1477. a Friderico Imperatore Gandavum miſſus, una cum Johanne Trevirenſi & Ludovico, Bavariæ Duce, in magno Procerum conſeſſu pathetica oratione impetravit, Maximilianum Archiducem inter & Mariam Burgundicam ut decerneretur conjugium. (p) Paulo poſt Georgius noſter Maximilianum comitatus eſt Gandavum; ejusque nuptiis cum Maria interfuit.

§. VI.

Obitus.

Maximilianus, ut gratam mentem teſtaretur Georgio, Epiſcopatum Ultrajectinum ei deſtinavit, ſed antequam literæ

(n) Comines *Memoires* Lib. II. Ch. 8. Browerus *Annal. Trevir.* Lib. XIX. p. 300. & 302.

(o) Meuriss. loc. alleg.

(p) Pontus Heuterus *Rerum Auſtriacar.* Lib. I. cap. 7. Fugger. *Oeſterreichiſcher Ehrenſpiegel* Lib. V. cap. 26. p. 854. ſqq. Meuriss. l. c.

Digitized by Google

GEORG.

expedirentur papales, Georgius Mediovici (q) deceſſit A. 1484. d. XI. Octobr. cum per XXV. annos Eccleſiæ Metenſi præfuiſſet. Corpus ejus in Eccleſia Cathredali ſepultum eſt Metis. (r)

---

neſcio, quo auctore tradit, ingens tum vitæ periculum adiiſſe Georgium, minantibus ei mortem Belgis, niſi matrimonium Mariæ cum Maximiliano perficeret.

(q) *Moyenvic.*

(r) MEURISS. l. c. p. 590. & 592.



CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VII.

MARCUS

EPISCOPUS LEODIENSIS POSTULATUS.



§. I.

Postremus filiorum Jacobi Marcus, Ecclesiastico quoque statui a patre dicatus, vix decimum egressus annum tonsuram A. 1445. accepit, uti supra notatum. (*a*) Marcus Canonicus Coloniensis.

A. 1459. possessionem Episcopatus Metensis Georgii fratris nomine adiit; cujus resignatione Coloniensis Ecclesiæ Canonicatum paulo ante impetraverat. (*b*)

A. 1460. Marcum una cum fratre Georgio Schauenburgici Nobiles Isenhemii tenuerunt captivum. (*c*)

Tom. II. Ff

(*a*) In vita Georgii, fratris ejus.

(*b*) MEURISS. *Hist. des Eveques de Metz.* p. 569.

(*c*) Vita Georgii ad A. 1460.

Digitized by Google

MARCUS.

Eodem anno & ſequenti in Comitatu fuit Johannis & Georgii fratrum, quum ille Treviros, hic Metas ſolenni ceremonia ingrederentur. (*d*)

A. 1463. occaſione tranſactionis inter Adolphum Naſſovium & Dietherum Iſenburgicum miſſus eſt Tiburum ad Pontificem Maximum legatus, ut ejus conſenſum impetraret. (*e*)

§. II.

Fit Protector Leodienſis.

A. 1465. magna rerum converſio apud Leodienſes occurrit, cui implicita fuit Domus Badenſis, occaſione Ludovici (*f*) Borbonii, quem Epiſcopum, poſt regimen decennale, rejecerant; Marcum noſtrum in Mainburnum ſuum eligentes. Ludovicus, Caroli Borbonii, & Agnetis, quæ Philippi Boni, Burgundiæ Ducis, ſoror fuit, filius, (*g*) A. 1456. a Johanne Heinsbergio Co-

(*d*) Vita Johannis & Georgii.

(*e*) GOBELLINUS in *Commentar. Pii II. Pont.* p. 328. & HELWICHIUS *de diſſidio Mogunt.* Sect. XIII. p. 191.

(*f*) TRITHEMIUS in *Chron. Hirſaug.* ad A. 1465. Leodienſem hujus temporis Epiſcopum vocat Johannem, qui Ludovici fuerat deceſſor. Johannes jam A. 1455. Ludovico Borbonio Leodienſem Epiſcopatum tradiderat, ut ex MERSSAEI CRATEPOLII *Electorum Eccleſiaſticorum Catalogo* apud GUALTHERIUM (*Gruterum*) *Chronico Chronicorum* Tom. I. p. 1518. addiſcimus.

(*g*) SAINCTE-MARTHE *Hiſt. Genealogique de la Maiſon de France* Tom. II. pag. 45.

Digitized by Google

MARCUS.

mite, viro virtutibus & meritis gravi, Leodienſem Epiſcopatum octodecim annorum juvenis acceperat, commendante avunculo, Leodienſium vicino, in cujus aula educabatur. (*h*) Calixtus III. Pontifex difficulter conſenſit. Conſenſit tamen, poſtquam Burgundiæ Dux bello ſacro contra Turcas ſe acceſſurum ſpem fecerat, quam poſtea fraudavit. Sed & Epiſcopus juvenis, morum incautus, & a ſacerdotio abhorrens, Principis magis, quam Epiſcopi dignitatem affectavit, atque adeo Leodienſium ſpem & ipſe fefellit; conſecrationem Epiſcopalem pertinaciter recuſans. Leodienſes ſuſpicati ſunt, id quærere Ludovicum, ut conſuetudine ſecularis adminiſtrationis continuata, regimen Epiſcopale dediſceret Civitas, atque adeo pedetentim in Ducalem converteretur, vicini Burgundiæ Ducis ſubitura imperium. (*i*) Multis in rebus ergo denegata ſunt Ludovico & Officialibus ejus obſequia. Philippus, nepotis ſui jura vindicaturus, petiit a Papa, Leodienſes ut interdicto ſubjiceret. Voluntati ejus detulit Pius II. Calixti ſuc-

(*h*) SUFFRIDUS PETRI in *vita Ludovici Borbonii* Cap.XX. Geſtorum Pontificum Leodienſium a Chapeavillo editor. Tom. III. p. 130.

(*i*) Docet hæc gravis & magni nominis ſcriptor, JAC. PICCOLOMINUS, *Cardinalis Papienſis*, *in Commentariis ſuis*, Mediolani editis A. 1506. vid. Lib. III. p. 396. In cauſſas diſſenſionis Leodienſium cum Ludovico Borbonio pluribus inquirunt Auctores GALLIAE CHRISTIANAE; qui tamen, quod mirum, ne verbo quidem meminere Marci Badenſis. Tom. III. p. 903. & 904.

Digitized by Google

MARCUS.

ceſſor. A. 1462. Leodienſibus denuntiata cenſura. (*k*) Lis tamen in Curia Romana per aliquot annos protracta, A. 1465. menſe Januario a Paulo II. pro Ludovico deciſa eſt. (*l*)

Inter hæc Razo Herenſis, & Barius Surleh, ex Proceribus Leodienſibus ad Carolum, Marchionem Badenſem, ſe contulerunt ejusque auxilium contra Epiſcopum & Philippum, Burgundiæ Ducem, implorarunt; tutela Epiſcopatus Marco, fratri Marchionis, (*m*), oblata. Marcus, rejecto Borbonio, ſpem Leodienſis Epiſcopatus accepit. (*n*) Badenſes, rem minus difficilem arbitrati ſunt, quod Ludovicus XI. Galliæ Rex, Borbonio Burgundoque infenſus, Leodienſibus promiſerat auxilia. Redux igitur Leodium Razo, convocatis ordinibus, Dominica Lætare A. 1465. ***Mainburnum*** (*o*) ſeu Protectorem Leodienſium proclamavit Marcum

(*k*) SUFFRIDUS PETRI Cap. 22. & 23.

(*l*) Bullam Pauli Pont. exhibet CHAPEAVILLUS in *Annotat.* ad SUFFRIDUM PETRI loco alleg. p. 143.

(*m*) Marcum SUFFRIDUS male Caroli Marchionis filium adpellat.

(*n*) SUFFRIDUS loc. alleg. cap. 24.

(*o*) *Mainburni* nomine utitur ADRIANUS *de* VETERI BUSCO *Monachus Sancti Laurentii Leodienſis*, ſcriptor coævus, *in Diario Rerum Leodienſium ſub Johanne Heinsbergio & Ludovico Borbonio Epiſcopis.* Extat in MARTENE *Collect. Veter. Scriptor.* Tom. IV. p. 1267. ſqq. Mainburni ex *Mundiburdio* medii ævi voce, vulgus corrupit. Vox denotat tutorem, defenſorem & in Chartis Belgicis præſertim varia inflexione occurrit, ut CANGIUS docet.

Digitized by Google

MARCUS.

Badenfem, quem Friderici Cæfaris affinitas, triumque fratrum, Caroli Marchionis, Johannis Trevirenfis & Georgii Metenfis Antiftitum opes præfertim commendaverant. Razoni fe oppofuerunt Johannes & Eberhardus, ex Arenbergenfium familia, pater & filius, Comites Marcani, qui Leodienfis ditionis vicinæ protectionem jure hereditario fibi vindicabant; Badenfibus alioquin infefti, cum quibus lites eis intercedebant & bella. Prævaluit tamen Razonis auctoritas, atque unanimi omnium confenfu Protector electus eft Marcus; qui de eventu rei folicitus, cum tribus fratribus tum Metis (*p*) agebat. Eo miffi Leodienfium legati, Marcum invitarunt, ut circa Pafchatis feftum folennis inaugurationis cauffa Leodium veniret.

Ludovicus XI. Galliæ Rex, inteftinis Procerum turbis agitatus, Leodienfibus deftinaverat literas, quibus Nivernenfem Comitem Protectorem illis obtulit; fed de Badenfis electione certior factus, in eandem confenfit. (*q*)

(*p*) Fratres Marchiones Metis progreffi funt Coloniam, quo Leodienfium legati venientes, armata manu eos duxerunt Leodium. WERNERUS TITIANUS *Annalium Novefienfium* Auctor in MARTENE *Collect. Veterum Scriptorum* p. 608.

(*q*) Singula hæc accurate exponit ADRIANUS *de* VETERI BUSCO p. 1267. fqq.

MARCUS.

§. III.

A Leodiensibus inauguratur.

Marcus secundo Paschatis festo splendide a Leodiensibus exceptus, inter Carolum Marchionem & Johannem Trevirensem, (r) fratres suos, medius, Episcopali pompa Civitatem ingressus est, peractisque sacris publicum Civitatis palatium invisit. Ibi praestito solenni jurejurando promisit, omnibus viribus eo se allaboraturum, ut ex Protectore Episcopus fieret; seque nihil oppigneraturum extraneis, sed civium libertates & jura conservaturum intacta. Vicissim Leodienses perpetuam Marchioni fidelitatem polliciti sunt. Ab hoc tempore Marcus noster in Literis *Regens & Gubernator ac Administrator Patriae Leodiensis, Ducatus Boullionii & Comitatus Lossensis* adpellatur. Tum etiam Magistri, Consules & Officialium Praefecti fidem ei praestiterunt.

Marcus, armata manu & praecedente cum albo baculo Razone, Dinantum & reliqua Leodiensis & Lossensis ditionis oppida invisit ae ubique populos in obsequium recepit. Reversus Leodium legatos, qui Lovanio, Bruxella, Antwerpia & Silva

(r) WERN. TITIANUS *Annalium Novesiensium* Auctor in MARTENE loco alleg. pag. 608. & TRITHEMIUS in *Chron. Hirsaug.* Johannem Trevir. interfuisse testantur. At silent eum ADRIANUS *de* VETERI BUSCO p. 1269. & SUFFRIDUS PETRI Cap. 25.

Digitized by Google

Ducis advenerant, ſalutavit. Capitulum Leodienſe, quod ab initio Marcum Protectorem agnoſcere recuſaverat, d. XVII. Maji in ejus quoque partes tranſivit.

§. IV.

Fœdus init cum Lud. XI. Galliæ Rege.

Inſequenti Aſcenſionis feſto ſplendida Galliæ Regis legatio, cui præerat Caſtellionenſis (*s*) Leodium venit, contra Burgundos & Borbonios, cum Protectore & Leodienſibus ut percuteret fœdus. Res ſtudio præſertim Razonis perfecta die XVII. Junii. Promiſſa ſunt auxilia reciproca. Galli in Hannoniam, Leodienſes in Brabantiam impetum faciant. Rex pro ducentis lanceis, quas Leodienſes conſcribant, menſtrua XV. librarum Turonenſium ſtipendia ſolvat; in ſingulas lanceas tres equites computati. Præterea conventum, ut de confirmatione Marci cum Pontifice Ludovicus Rex ageret, neque obedientiam ei præſtaret, antequam obtinuiſſet petita. (*t*)

Inito hoc fœdere, Carolus Marchio rediit domum, milites ut colligeret pro Gallo. Marcus vaſallos Leodienſis Eccleſiæ ad inveſtituram feudorum ſuſcipiendam adegit. Bona Epiſcopatus

(*s*) Sire de Chaſtillon.

(*t*) Fœdus hoc extat in LEONARD. *Traités de Paix* Tom. I. pag. 60. & DU MONT *Corps Diplomat.* Tom. III. p. 328. Addatur ADRIAN. *de* VETERI BUSCO loc. alleg. p. 1274.

Digitized by Google

ſibi aſſeruit. Abſentium, ut & eorum, qui in verba ejus jurare detrectaverant, facultates fiſco addixit.

§. V.

Adverſa factione oppreſſa poſtulatur Epiſcopus.

Exſpiraverat quadrimeſtre tempus, quo Pontifex interdictum in Leodienſes ſuſpenderat. Magna inter eos animorum commotio. Clerus Protectorem adiit, rogans, ut de ſervando interdicto cum populo ageret. Annuit Badenſis; ſed Dominus de Bare, Razo, aliique, qui Leodii rerum potiebantur, interverterunt conſilia Cleri, & convocato ad palatium populo, falſam Pontificis bullam & interdictum nullum eſſe oſtenderunt. Canonicorum, qui aufugerant, vel intermiſerant ſacra, domus ſpoliatæ, bonaque ſub haſta ſunt vendita. Protector cum Magiſtris & Conſulibus Urbis, creato ſuarum partium Officiali, jurisdictionem ſibi arrogarunt utramque. Borbonius Hoyo pulſus, & occupato a Leodienſibus oppido, Marcus ibidem inauguratus Protector.

Florentibus ita Marci rebus conſcriptæ ad Pontificem literæ ſunt, quibus ille trium ſtatuum nomine poſtulabatur Epiſcopus; rejecto Borbonio, quem viginti rationibus allegatis impulſi, Epiſcopum ſe agnituros negarunt. Leodienſium literis ſuas quoque addidit Ludovicus XI. Galliæ Rex, qui fœdere, ſupra indicato, ad ſolicitandum ea ſuper re Pontificem ſe obſtrinxerat. Literæ hæ perferendæ Romam datæ Hugoni Benefacti, theſaurario Metenſis Eccleſiæ, quem cum fratre Leodii reliquerat Meten-

Digitized by Google

MARCUS.

ſis Antiſtes; eique in mandatis datum, ut pro impetranda Badenſis confirmatione, omnem Romæ lapidem moveret.

§. VI.

Hæc dum agerentur Leodii, Carolus Marchio inſtruendo adverſus Burgundos bello totus incubuit, coactisque domi quadringentis haſtiferis & peditibus ſexaginta, cum omni apparatu bellico, ſub initium menſis Auguſti Leodium rediit. Eodem tempore inſignis pecuniæ ſumma, ſolvendis militum ſtipendiis, e Gallia fuit allata. Leodienſes tum Philippo, Burgundiæ Duci, bellum denunciarunt. Protector ſuo quoque nomine fecialem miſit Bruxellas, quem Dux, leniſſimus Princeps, liberaliter habitum, veſtibus & auro donavit.

Indicto Burgundis bello domum redit.

Sed de belli ratione tandem fuerat deliberandum. Heic alii in Brabantiam ex fœdere cum Gallis, alii in Limburgenſem ditionem educendas eſſe copias cenſuerunt. Prævaluit poſterior ſententia Badenſium ſtudio, qui de reditu ſolliciti, longius progredi noluerant. Unde Leodienſes, Carolo Marchione & Protectore ducibus, Civitate egreſſi, in Limburgenſes terras irruptionem fecerunt, pluribusque vicis immani crudelitate deletis, Falcomontem obſidione cinxerunt quarto die Septembris. Hærente ibi Leodienſium exercitu, quum allatus eſſet nuntius, Ludovicum Borbonium, Burgundicis inſtructum copiis, liberandi oppidi cau-

Digitized by Google

MARCUS.

ſa, propius acceſſiſſe, Marcus, cum fratre Carolo & adducto equitatu, Leodienſium caſtra noctu reliquit, (u) magnisque itineribus in Marchiam contendit.

Fugæ hujus cauſæ.

Leodienſium crudelitatem animique levitatem horruerunt Marchiones; frequentibus etiam Trevirenſis & Metenſis fratrum Antiſtitum literis moniti, ut ſeditioſi populi cauſam defererent, quam gravi ſententia damnaverat Pontifex. Acceſſit, quod eodem tempore Ludovicus Galliæ Rex, pace cum Carolo, Caroleſii Comite Philippi boni filio, facta, Leodienſes neglexerat: quodque Caroleſius, ordinatis Gallicis rebus, in eo jam erat, ut conjunctis cum patre copiis, omnem belli molem in Leodienſes converteret. (x)

§. VII.

Acta reliqua cum Leodienſibus.

Excuſandæ tamen fugæ ſuæ Marchiones noſtri legatos miſerunt Leodium, qui bonorum relictorum æſtimationem inirent. Sed male a Leodienſibus excepti, re infecta reverſi ſunt. Leodienſes cum Ludovico Borbonio & Burgundiæ Duce redierunt in gratiam. At anno inſequenti 1466. novam rebellionem parantes, de revocando Badenſi iniverunt conſilia. Invaluit factio, quæ in contemtum Borbonii, nomen Badenſis per omnes Civitatis pla-

(u) D. 5. Sept. A. 1465. ADRIANUS de VETERI BUSCO. SUFFRIDUS PETRI locis allegatis. CHRONICON MAGNUM BELGICUM p. 420.

(x) SUFFRIDUS PETRI loco citato. COMINAEUS *Memoires* Lib. I. Cap. XIV.

Digitized by Google

MARCUS.

teas, festivis acclamationibus circumtulit, detractisque Borbonii insignibus, arma Badensia ubique suffixit. Marci imago ad omnes urbis portas collocata habitu clericali, angelis mitram super caput tenentibus. Missa quoque ad Marcum legatio, quæ reditum ei persuaderet. Hic cum fratribus ea de re se communicaturum respondit, atque in literis ad Leodienses, quibus devotum eis animum spondet, *Regentem* adhuc *patriæ Leodiensis*, *Ducatus Boullonienfis & Comitatus Lossensis* se scripsit. At Marci cunctationem indignati Leodienses, imagines ejus & Badensia insignia sustulerunt ubique. (*y*) Carolum autem Burgundiæ Ducem, qui A. 1467. patri successit, perpetuis lacessiverunt injuriis usque ad A. 1468. quo illa ira commotus, inspectante Ludovico XI. Rege, Civitatem flammis delevit. (*z*)

Abdicata Leodiensium tutela, Argentinensem Canonicatum Marcus accepit. Unde natus eorum error, qui eum Argentinenses inter Episcopos ponunt. (*a*)

(*y*) ADRIANVS DE VETERI BVSCO loco allegat. pag. 1290. seqq. MEYER. in *Annal. Flandricis* Lib. XVI. p. 396.

(*z*) COMINES *Memoires* Lib. II. Chap. 1. 2. 3. 4. 7. 10. 11. 12. 13.

(*a*) REVSNERVS in *Genealogico Opere* pag. 515. eum in ipso limine officii obiisse tradit A. 1478. quo auctore, ignoro. Vacaverat illo anno Argentin. Ecclesia morte Ruperti Bavari; cui Albertus ex eadem domo Antistes, interjecto vix unius mensis spatio successit. GALLIA CHRISTIANA Tom. V. p. 815.

Digitized by Google

MARCUS.

A. 1471. Comitiis Ratisbonensibus cum Johanne Trevirensi interfuit.

§. VIII.

Obitus.

Obiit A. 1478. 14. Kal. Sept. postremus filiorum Jacobi; quorum indolem & felicia fata IRENICUS (*b*) his verbis exponit: „ O felicissime omnium Jacobe Marchio, cui nihil quod
„ felicitatis esset, defuit, beatus partu, ac beatior fortuna tam
„ corporis, quam animi bonis: beatissimus liberis beatissimis, &
„ te multo beatioribus. Collocabatur tibi conjugio Caroli Lo-
„ tharingi Ducis filia, thorus Ducatu insignitus: filios sex fortu-
„ na indulsit, unum, cujus nomen inter Divos relatum est, duos
„ Episcopatibus amplissimis instructos, tertium Episcopatui Ar-
„ gentinensi quam proximum. Ante obitum quoque videre tibi
„ datum est, Carolo potentissimo, qui adhuc extiterunt, Mar-
„ chioni, filio, Friderici III. Cæsaris sororem in uxorem co-
„ pulari, unicam filiam Alberto Brandenburgensi Marchioni ac
„ Imperii Romani Electori destinatam. „

(*b*) *Exegesis Germaniæ* Lib. III. cap. 101. p. 158.

Digitized by Google

HORIANA.

I.

[...]archione, cum Rœtela

[...]hern, &c. ei concedit.

[...]M.

I.

natu

5. CHRISTOPHORUS.
natus A 1477.
Canonicus Argenti-

6. PHILIPPUS.
natus A. 1478.
† A. 1533.

Digitized by Google

Digitized by Google

Christ.

PERIODUS V.

SIVE

CHRISTOPHORIANA

CAPUT I.

CHRISTOPHORUS

A. 1475 --- 1527.

§. I.



ernhardianam Periodum, bellicis agitatam tumultibus excipit Christophoriana; primis sub Marchionibus tranquillior; sub mediis bello quoque strepens & armis. Introitus.

Pax publica, veteri ignorata Germaniæ, in solennibus Wormatiæ Comitiis seculo XV. finiente condita, non Marchiæ modo Badensi, sed omnibus Germaniæ terris tempora pacatiora induxit. Velitationes continuæ, diffidationes quas vocant, quæ per tot sæcula miseram turbarunt Germaniam, in perpetuum proscriptæ sunt.

Digitized by Google

Bonæ literæ & artes, ex Græcia per Italiam Germanis allatæ, bellicosam nationis indolem non parum mitigaverant.

Verum enimvero ipsæ hæ politiores literæ, homines humaniores quæ reddunt; quæ magnum Germaniæ decus attulerunt & lumen, magnis quoque in cultu religioso conversionibus rerum occasionem dederunt. Marchiones Badenses, aliorum Germaniæ Procerum exemplo, vel veteribus vel novis sacris addicti, sacrorum suorum formam populis, sibi subjectis, quoque dederunt pro lege. In Marchia utraque Badensi, in Hachbergica ceterisque horum Principum terris cultus divini ratio aliquoties mutata, restaurata, abolita; donec bello tricennali, medios inter belli furores, duas inter Lineas Badenses, quæ subsistunt, res denique transacta, & Westphalica Pacificatione firmata.

§. II.

Christophori initia.

In limine hujus Periodi stat Princeps, quo majorem, meliorem nunquam Marchia vidit, CHRISTOPHORUS, pacis & belli artibus clarus; verus populi sui pater.

Immortalis memoriæ Princeps primam lucem aspexit A. 1453. d. 13. Novembris, magno patre major & felicior filius, cui in Marchicis terris cum fratre successit. Juvenis viginti duo annorum ad Fridericum IV. Imperatorem, avunculum suum, Francofurtum profectus est, qui excelsæ indolis nepotem in comitatu suo retinuit, eique Badensia Imperii feuda, Alberto quoque fratre

Digitized by Google

inclufo, folenni ceremonia contulit. In laterculo feudorum utraque Badenfis & Hachbergenfis Marchia, Eberfteinii Comitatus dimidia pars, Dominium Ufenberg, Windeckiana Bona cum Stutzhemio Alfatiæ vico enumerantur. (*a*) Prima hæc, quam novimus, inveftitura Hachbergæ a Cæfaribus facta; præcedentes de fola Badæ Marchia loquuntur.

§. III.

Privileg. Cæfar.

Antiquis Imperatorum Privilegiis acceflerunt tum nova; quorum fumma huc redit. Marchionum Badenfium Vafallos, officiales, fubditos & qui in eorum funt protectione feu advocatia, coram Judicio Cæfaris Aulico, Rotwilenfi, vel Provincialibus aliisque judiciis convenire non liceat; fed lites eis motæ, ad ipfos Marchiones vel ad eorum tribunalia remittantur. Quod fi juftitiæ rationem non habeant Marchiones, aut ultra fex feptimanas & triduum protrahant litem, actori fit integrum ad alium quoque judicem caufam deferre. E terris Badenfibus profugos, dominis invitis, recipiat nemo, fed petentibus Marchionibus eorumque Præfectis, etiam poft viginti reftituat annos. Profcriptos recipiendi jus tribuitur Marchionibus; qui tamen profequentibus eos admi-

(*a*) Literæ die Veneris ante Simonis & Judæ confcriptæ exhibentur a LUNIGIO, *Reichs-Archiv Fortfetzung der anderen Continuation Vierte Abtheilung, Neunter Abfatz* pag. 947. SCHILTER in *Scriptorib. Rerum German. inter Documenta* p. 101.

CHRIST.

niſtrent juſtitiam. (*b*) Sereniſſimi (*Durchleuchtig*) titulus a Chriſtophori tempore Marchionibus Badæ hinc inde tribuitur, Cæſares tamen, nec in hoc privilegio nec in ſequentibus ante Leopoldum Imp. A. 1664. hujus tituli meminerunt.

§. IV.

Varia.

Eodem anno (1475.) in Colonienſi conventu bellica contra Carolum Burgundum expeditio decreta. Cæſar menſis Maji initio cum octoginta millium armatorum exercitu Colonia egreſſus, ad Noveſium, quam urbem Carolus obſederat, contendit. Poſt duos conflictus ſoluta obſidio & pax inita fuit. (*c*) In expeditione hac copias quoque ſuas Cæſari adduxit Chriſtophorus; (*d*) qui eo ipſo tempore cum Wirtenbergæ Comitibus ſuper fabricam communis monetæ ad decennium Leonbergæ conventionem inivit. (*e*)

Alber-

(*b*) Super privilegia hæc Diplomata duo, A. 1475. die Martis ante Simonis & Judæ data, exhibet LUNIG loc. alleg. p. 944. ſq. SCHILTER loco alleg. p. 103. & 105.

(*c*) MICHAEL BOIEMUS in *Vita Alberti* §. 9. JAC. UNRESTVS in *Chron. Auſtr.* pag. 597. EMANUEL SUEYRO *Annales de Flandres* p. 525.

(*d*) GERARDUS A ROO pag. 281. ſcribit: „Eodem die advenit Chri-„ſtophorus Marchio Badenſis & poſtridie Henricus Haſſorum Princeps „Hermanni frater cum non contemnendis uterque copiis.

(*e*) PETRI *Suevia Eccleſiaſtica* p. 710.

Digitized by Google

CHRIST.

Pacta cum fratre.

Albertus frater A. 1476. Marchiam ei omnem per sexennium soli regendam reliquit; quo tempore elapso, instituta est inter fratres divisio, conciliante Sausenbergico Marchione Rudolpho. Christophorus Marchiam Badæ & dimidiam Comitatus Eebersteinii, atque Dynastiæ Lahrensis oppigneratæ partem accepit. Alberto Marchia tota Hachbergæ obvenit. Fratrum utrique terras oppigneratas reluendi ius servatum, & hereditas matris. Cum autem Maximiliano contra Brugenses operam præstans, in obsidione Belgici oppidi Damm Albertus A. 1488. periisset improlis, Marchicas suæ lineæ terras omnes solus denique conjunxit Christophorus.

§. V.

Varia.

Hic A. 1477. cum Moguntino, Trevirensi Electoribus, aliisque Imperii magnatibus Maximilianum in Flandriam comitatus est, ut solennitati nuptiarum, quas ille cum Maria Burgundica celebravit Gandavi, interesset. (f)

Eodem anno diploma a Friderico IV. obtinuit; quo firmatum est privilegium Carolo patri ejus datum, ut intra unum a Pfortzhemio milliare, a vectoribus super quacunque via exigi posset vectigal. (g)

(f) HARAEI *Annales Brabantiæ* Tom. I. p. 452. LE PETIT *Chronique de Hollande* &c. Tom. I. Liv. 6. p. 524.

(g) Scriptum Vindobonæ die ultimo Martii extat in LUNIG loc. allegat. p. 948. & SCHILTER p. 107.

CHRIST.

A 1479. Albertum, ex Comitum Palatinorum familia Argentinensium Antistitem, cum more majorum Civitatem introisset, una cum Philippo Electore Palatino aliisque Principibus Christophorus comitatus est. (*h*)

Tum quoque Maximiliano Archiduci, bello cum Gallis implicito, utilem navavit operam; capto inter alia Luxemburgi Castro; ex quo Johannem Domarianum, Gallicæ partis equitem ejecit, teste inscriptione Luxemburgi superstite, quam exhibet BERTHOLETUS. (*i*)

§. VI.

Successio Cattimeliboc.

Eodem anno (1479) Philippus, Cattimelibocensium Comitum postremus, decessit, septuaginta septem annorum senex; filiam Annam & ex filio cognomine, qui viginti quinque annis an-

(*h*) *Chronicon Mscpt. Argent. Anonymi.*

(*i*) *Historiæ Luxemburg.* Tom. VIII. pag. 7. Inscriptio hæc est:

Messire Christophe Marquis de Baden
Presentement Capitaine & Gouverneur
du Duché de Luxembourg
Prit par les armes ce Chateau de Luxembourg
Au nom de tres haut & tres puissant Prince & Seigneur
Maximilien Roi des Romains
Sur Jean de S. Domarien Chevalier qui pour lors
Tenant le parti du Roi de France & des Flamans
L'occupoit contre le susdit Roi des Romains.

Digitized by Google

CHRIST.

te patrem obierat, unicam neptem relinquens Otiliam, Christophori Marchionis nostri uxorem. Anna Henricum Landgravium Hassiæ habuerat conjugem. Inter duas has Principes, amitam nempe & fratris filiam, de successione certatum.

Cattimelibocensis Comitatus, uti pleræque Imperii ditiones, allodiis constabat & feudis. Feuda vel ab Imperio, vel a Principibus Ecclesiasticis, præsertim Herbipolensi Episcopo, aliisque pendebant. (*k*) Otilia dimidiam hereditatis avitæ partem jure repræsentationis sibi deberi contendit; allodia magis, quam feuda affectans. (*l*) Anna vero Comitatum vicinum omnem, Hassi conjugis sui ope, occupavit; feuda ex conventione soceri cum dominis directis, (*m*) allodia jure sanguinis sibi vindicans; proxima heres defuncti; (*n*) filia quod gradu propior nepte.

(*k*) MULLERI *Reichstags-Theatr. sub Maximiliano I.* Part. I. *2te Vorstellung.* Cap. 68. §. 10. p. 611.

(*l*) „ *Ihre Fürderung und Ansprach um ihr Anherrlich Veterlich und Mütterlich nachgelassene ligende Erbgüter und fahrende Habe und ihre Gerechtigkeit der obgedachten Graveschafften Katzenelnbogen und Diez.* „ Verba sunt Instrumenti renunciationis Otiliæ.

(*m*) Ad conventionem hanc provocant Hassi; teste MULLERO loco allegat. pag. 5. JurisConsulti Parisienses in Responso super litem inter Hassos & Nassovios, pro Philippo Hassiæ Landgravio pronuntiant; habita præsertim ratione literarum simultaneæ investituræ, quas A. 1470. Philippus Comes Cattimelibocensis ejusque gener Henricus Hassus à Rudolpho Herbipolensi Episcopo obtinuerunt. Vid. CAROLUS MOLINAEUS *Consil. 18. Operum* Tom. II. p. 865.

(*n*) In Instrumento renunciationis Otiliæ Henricus Landgravius vocatur

Digitized by Google

§. VII.

Lis de ea & renunciatio.

Christophorus Otiliæ uxoris suæ nomine in Aula Cæsarea A. 1480. litem instituit, ac Fridericum fratrem, qui dein Ultrajectensium Antistes, misit ad Cæsarem, causam ut ageret præsens. (*o*) Cæsar Landgravium ad tribunal vocavit. (*p*) Sed post biennii moram, separatio allodiorum a feudis & alia, quæ in disceptationem veniebant, difficiliorem in dies cum redderent litem, Hasso constanter in possessione Comitatus manente, Christophorus denique in amicam cum Landgravio transactionem consensit; accepta, quam Henricus obtulerat, pecuniæ summa. Actioni in hereditatem avitam renunciavit Otilia, servato sibi tantum successionis jure, si quando omnis Henrici extingueretur posteritas. Instrumentum hac super re A. 1482. mense Majo conditum est Badæ. (*q*)

„ *Der* nehiste Erb *der Graveschafft Katzenelnbogen und Diez von wegen*
„ *der Hochgebohrnen Fürstinnen seiner Gnaden Gemaheln, Frau Annen*
„ *Lantgrävin zu Hessen &c, gebohrne Grävinne zu Cazenelnbogen und zu*
„ *Diez, des gedachten Graven Philipßen Dochter.* „

(*o*) Literæ Credentiales, quas vocant, Friderico ad Cæsarem datæ, extant in Tabulario Bada-Badensi.

(*p*) Mandatum Imperiale cum citatione in eodem Tabulario servatur.

(*q*) MULLERUS *Reichstags-Theatr. sub Friderico IV. Vte Vorstell.* Cap. 12. pag. 55.

CHRIST.

Ita ex divite Cattimelibocensi successione ad Badenses nihil pervenit. Christophori avunculus Cæsar procul dubio induxit eum, ut cum Hasso transigeret; quod in Aulico judicio eum causa casurum esse existimavit.

§. VIII.

Expeditio Geldrica aliaqua.

Post institutam cum Hasso litem Christophorus A. 1481. in expeditione Geldrica Maximilianum secutus est. (r)

A. 1486. Electores ad eligendum Romanorum Regem Francofurti convenerant. Marchio noster Friderico Imp. ad conventum hunc proficiscenti comes adhæsit. (s) Habita tum quoque Imperii Comitia, in quibus de bello contra Turcas quæsitum. Christophoro, una cum Wurtzburgensi & Passaviensi Episcopis & Brandeburgi Marchione, id datum negotii, ut deliberatione cum legato Pontificis habita, decernerent, quid facto sit opus, eaque de re Cæsarem & Electores docerent. (t) Maximilianus Rex Romanorum electus, coronationis causa Aquisgranum deductus est. Christophorus & Albertus frater in itinere nobilium agmen duxerunt. (u)

(r) LE PETIT *Chronique de Hollande* &c. Tom. I. Liv. 6. p. 537.

(s) MVLLER. *Reichstags-Theatr. sub Friderico IV. VIte Vorstellung* Cap. I. pag. 2.

(t) FVGGER. *Speculum Austr.* Lib. V. Cap. 33. p. 952.

(u) IDEM loc. cit.

Digitized by Google

CHRIST.

§. IX.

Expeditio adversus Brugenses.

Biennio post Civitas Brugensis, seditione commota, Maximilianum Regem custodiæ mancipaverat. Fridericus pater LXXIII. annorum senex, habitis per Imperium delectibus, quantas potuit copias, filio liberando in Belgium adduxit. Christophorus cum Alberto & Friderico fratribus quater mille pedites, quos suis sumtibus collegerat, exercitui Imperiali conjunxit. (x) Fama de Cæsaris adventu in Flandriam delata, Brugenses facinoris pœnitentia ducti, reliquorum Belgii ordinum interventu, post quartum captivitatis mensem libertati restituerunt Maximilianum; præscripta ei pacis formula, quam jurejurando sancire coactus est. Refractaria ille urbe relicta ad patrem iter paravit; sed nondum excesserat Brugensium fines, quum Belgarum legati, firmandæ pacis causa, eum adirent. Maximilianus, iratum Cæsaris animum intercessione aliquot Germaniæ Procerum mitigandum esse censuit, commendavitque Christophorum ejusque fratres Albertum atque Fridericum, ut ope eorum in gratiam reducerentur Brugenses. Badensibus licet injunxerit Cæsar, Flandricas rebellium terras ferro ut persequerentur & flammis, apud eum tamen intercesserunt pro Flandris. Sed flecti non potuit Cæsar, qui cum

(x) FUGGER. loco allegat. Lib. V. Cap. 36. pag. 999. OLIVIER DE LA MARCHE *Memoires* Lib. II. p. 641.

Digitized by Google

omnibus copiis in agrum Gandavensem progressus, in vicinia urbis castra locavit; Flandris è Gallia arcessentibus auxilia, quibus ruinam imminentem averterent. Deinsam, haud ignobile ad Lisam oppidum, Galli Flandrique insederant, prohibituri, ne Cæsari ex Hannonia adveherentur commeatus. Christophorus cum quatuor millibus Germanorum peditum missus, nocturno impetu oppidum expugnavit, quadringentis fere hostium cæsis. In Gandavenses deinceps & Brugenses sævitum. Cæsar, relictis cum filio copiis, in Germaniam rediit. In Comitiis Francofurtanis A. 1489. denique compositum est bellum. Conventui huic inter alios Proceres Christophorus quoque cum filio Jacobo interfuit. (*y*)

§. X.

Regimen Ducatus Luxenb. Marchioni committitur.

Luxenburgici Ducatus Regimen pro præstitis officiis Maximilianus Christophoro eodem anno ampla cum potestate tradidit; (*z*) militarium & civilium rerum ei potestatem committens. In beneficiorum ecclesiasticorum collatione jus præsentandi exercuit; magistratus officio male functos exauctoravit. (*a*) Promisit Maximilianus, dignitatem Christophoro se non ablaturum, nisi debito eum præmonuerit tempore atque impensarum ratione satis-

(*y*) PONTVS HEVTERVS *Rerum Austriacarum* Lib. III. Cap. 10. 11. 16. FVGGER. loco alleg. p. 999. sq.

(*z*) BERTELII *Descriptio Luxemburgici Ducatus* p. 486.

(*a*) Diploma Middelburgi die 20. Aug. datum in Codice Diplom. exhibemus.

CHRIST.

fecerit. (*b*) Quin & per Vicarium ut regeret Ducatum Marchioni permisit. Luxemburgi Castrum iisdem conditionibus ei traditum est. (*c*) Marchio, Præsule Cameracensi præsente, Regi fidem adstrinxit. (*d*)

Silvanectensis Pacis, inter Maximilianum Imperatorem & Carolum VIII. Galliæ Regem A. 1493. initæ, tabulas custos & vindex pacis Christophorus sigillo quoque suo firmavit. (*e*) Hæc de Belgis; nunc ad Germanos redeundum.

§. XI.

Idem Fœderis Suevici socius

Maximilianus Romanorum Rex vix fuerat electus, quum omnibus viribus eo allaboravit, perpetua pax publica tandem ut in Imperio vigeret. Prælusit pace tum ad decennium constituta; cui

(*b*) Codex Diplom. Badensis.

(*c*) Idem Cod. Diplom.

(*d*) Gubernium hoc Carolus I. Hispaniæ Rex, Belgii Princeps, A. 1518. Christophoro de novo commisit. Idem Cod. Diplom. ad hunc annum. DROLLINGERVS in *Lexico Basil.* in Vita Christophori scribit, Maximilianum Christophoro Luxemburgicum oppigneraffe Ducatum atque eum postea reluisse; sed asserti sui auctorem non profert.

(*e*) LEONARD *Traités de paix* Tom. I. pag. 365. Germanis & Belgis Warandia Pacis usitatior, illis præsertim temporibus, quibus paces publicæ nonnisi temporariæ erant. In Westphalica Pace usus hic quoque adhibitus est.

Digitized by Google

CHRIST.

cui porro firmandæ biennio post Suevos induxit, ut Equester eorum Ordo Liberæque Civitates inter se ad octennium fœdus inirent Eslingæ, quod Bavariæ Ducum & Helveticæ Ligæ retardaret progressus. Suevico fœderi Christophorus, à Maximiliano inductus, A. 1489. die Palmarum accessit, quod & Moguntinus Elector, Brandeburgici Marchiones, Archidux Austriæ, Wirtenbergæ Dux eodem die fecerunt. (*f*)

§. XII.

Pactum successionis Sausenberg.

Memorabilior in Badensium Chronicis insequens annus est, (1490) quo via parata, ut patrimoniales eorum terræ, per tria fere secula a terra matre distractæ, in unum corpus redirent.

Die Jovis post B. Bartholomæi Philippus Marchio Sausenberga-Rœtelanus suæ lineæ postremus, mutuæ successionis pactum, quod stilo domestico: *Das Rœtelische Gemechte* (*g*) *vel Erbeinigung* Badenses appellant, cum Christophoro inivit; Sacrum Domus Badensis Palladium. Quamvis enim Sausenbergicæ Lineæ, quæ junior erat, ad interitum vergenti, senior succedere debuisset, a stipite communi quod fuerant prognatæ; reciproca tamen linearum successio novo pacto roborata est; cujus capita præcipua heic proponimus Lectori.

(*f*) DATT *de Pace Publica* Lib. II. cap. 9. & 10.

(*g* Dispositio, Conventio, Germanis tum dicebatur *Gemechte*, *Gemechtnus*.

Digitized by Google

CHRIST.

Si Christophorus sine mascula herede decedat, Marchia Hachbergæ cum Hohinga & oppido Sulzberg ad Philippum perveniat. Philippo absque masculis decedente heredibus, Dynastiæ Rœtela, Sausenberga, Badevilla ad Christophorum perveniant. Unionem hanc hereditariam Officiales & subditi utriusque partis accipiant, & jurejurando confirment. Neuter aliquid ex Marchicis his terris alienet. Si aliquid vendatur, rei venditæ pecunia in aliam rem utilem vertatur. Libera sit rerum oppigneratarum superstiti reluitio. Vidualitia uxorum super has terras sint licita. Principis filiæ dos ad octo mille florenos ascendat. Viduales & dotales terræ suo tempore redeant ad corpus. Alienatio permittitur, si quis Marchici sanguinis ex captivitate redimendus, vel si pia instituenda fundatio. Deficientibus masculis Marchicæ terræ, ad filias transeant. Officiales si qui novi creentur, in Pacta hæc jurent. Singulis decenniis subditi jusjurandum renovent.

Transactionem hanc Maximilianus Cæsar A. 1499. d. 13. Aug. Friburgi Brisgoviæ sua auctoritate roboravit per literas, quibus tamen, inscio Christophoro, clausulæ quædam insertæ fuerunt, de quibus infra differitur.

§. XIII.

Turbæ Weissenburg.

Weissenburgensis Abbatiæ Regalis Benedictinæ in Alsatia Inferiore motus, à Friderico I. Electore Palatino excitati, à Phi-

Digitized by Google

Christ.

lippo Ingenuo aucti, Principes vicinos commoverunt, ut ad componendos eos A. 1491. certatim concurrerent.

Joannes Trottius, miles Thuringus, Mareschallus Aulæ, apud Philippum Monasterii Advocatum gratiosus, Abbatiam duriter habuit, atque in ejus bona manus injecit. Re Romam delata, Elector & Trottius censuræ ecclesiasticæ ab Innocentio VIII. subjecti sunt. Christophorus Electorem amicum, sed in omni hoc vacillantem negotio, ad transactionem cum Abbatia perducere non potuit, nisi post Trottii decessum. (*h*)

§. XIV.

Marchio Aurei Velleris Eques.

Illustre hoc in Annalibus Badensium tempus est, quo Domus hujus opes sub Principe nostro, quem augendis, ordinandis, ornandisque Badensium rebus fata destinasse videbantur, non exigua incrementa ceperunt.

Initium factum est ab Aurei Velleris torque; qua Philippus Archidux, Galliæ Belgicæ heres, quatuordecim annorum juvenis, Christophorum Marchionem anno, quem recensemus, (1491) ornavit Mechliniæ. (*i*)

At Maximilianus pater tutorque Philippi, strenuam consanguinei sui fidem & operam in Belgicis & Francicis bellis plu-

(*h*) Trithemius in *Chron. Hirsaug.* ad A. 1491.

(*i*) Fugger. *Speculum Austriacum* Lib. V. cap. 39. p. 1040.

CHRIST.

res per annos conſtanter expertus, de remuneratione ſollicitus, occaſionem denique invenit, qua ei domuique ejus gratum animum oſtenderet; Dynaſtias quasdam atque Dominia, in Ducatu Luxemburgico ſita, A. 1492. in perpetuum ei conferens feudum, quorum præcipua Domui Badenſi ad noſtra usque tempora adhærent.

§. XV.

Ditiones Luxemburg. accipit.

Rodemacheræ, Richemontii, Hesperingæ, (k) Bolchenæ (l) & Vſeldingæ (m) feuda intelligo. Rodemachera (n) oppidum, Dynaſtiæ caput, tribus leucis diſtans Luxemburgo, ſuos a longo tempore habuerat Dynaſtas, qui per omnem Ducatus Luxemburgici tractum terras poſſederunt. Sub Carolo Burgundiæ Duce, ſub Maria & Maximiliano conjugibus, ut & ſub

(k) In Inſtrumento legitur *Hesprenges*, Germ. Herspring.

(l) Feudum Vincentii Comitis Marcani, à Luxemburgico Ducatu pendens.

(m) Dynaſtiam hanc prope Rodemacheram, Domino de Clerval olim oppigneratam, Vincentius Marcanus redemerat, ut Charta nos docet.

(n) Tria ſunt Ducatus Luxemburgici oppida, quæ in *Machern* deſinunt *Rodemachern*, *Kœnigsmachern*, *Grœvenmachern*, circa Moſellam flumen. *Machern* pro *Marchern* à Marcha nonnulli derivant, quod loca hæc in finibus Ducatus Luxemburgi, Lotharingiam verſus, ſita ſunt. ZEILERVS in *Topographia Ducatus Luxemburgici* p. 242. ubi & annotat, Rodenmachern ſubinde *Rodenbach* appellari. Idem ZEILERVS in *Itinerario Germaniæ* cap. 32. pag. 474. ſcribit *Rodemarck*. GVICCIARDINVS *Rodemacriam* appellat in *Deſcriptione Belgii* p. 292.

Digitized by Google

Philippo, filio eorum, Gerhardus Rodemacheranus in bellis, cum Ludovico XI. & Carolo VIII. ortis, Gallicas partes fovit, arma contra dominos suos identidem ferens. Maximilianus in literis feudalibus, Marchioni datis, ipse nos docet, Rodemacherae, Richemontii, Herspringae Castra tormentis bellicis a se expugnata fuisse, hostibusque erepta. Castra haec tamen cum terris noluit penes filium suum Philippum manere, sed ut erat indulgens, Bernhardo perduellis Gerhardi filio atque Vincentio Moërsiae & Sarwerdae Comiti, tradidit; iniquum existimans, filium innocentem patris, qui inter haec mortuus est, luere peccata. Sed Moërsius & Rodemacheranus, accepti beneficii immemores, turbis super matrimonium Annae Britannicae inter Carolum VIII. Galliae Regem & Maximilianum exortis, Gallicas denuo secuti sunt partes. Captivus tum Abbevillae in Picardia tenebatur Carolus, ex Egmontanorum Comitum familia, Geldriae Dux; (*o*) cujus pater Adolphus, homo turbidi ingenii, Arnoldum patrem suum olim quoque tenuerat captivum. Carolus Audax, Burgundiae Dux Geldricum Ducatum ceterasque terras avitas vi abstulit

(*o*) Carolus hic cum Philippo Ravensteinio, copiarum Austriacarum praefecto, Civitatem Bethuniam tentaturus, A. 1487. una cum Nassoviae Comite in Gallorum manus inciderat. JALIGNY *Histoire de Charles VIII.* in *Collectione Scriptorum Godofredi* pag. 35. BVZELINVS in *Annalib. Gallo-Flandriae* Lib. X. p. 467.

MARCUS.

Adolpho. Maximilianus per Mariam Burgundicam, Caroli Audacis filiam atque heredem, accepit Geldriam, & ad annum usque 1492. possedit. Hoc ipso anno Vincentius, Moërsii & Sarwerdæ Comes, quem memoravimus, Gallicis adjutus copiis, Carolum post quinque annorum captivitatem in avitum Geldriæ Ducatum restituit. Vincentii filius, vel ex filia nepos, Bernardus Rodemacheranus Carolo VIII. Galliæ Regi, pro Geldri lytro relictus est obses. (*p*)

Novam hanc Vincentii & Bernhardi vasallorum perfidiam Maximilianus Romanorum Rex punivit, eodemque anno 1492. Dominia utriusque Luxenburgica, superius memorata, fisco ad-

(*p*) Vincentius Moersanus in Literis Caroli Geldriæ Ducis, ad Fridericum IV. Imp. A. 1492. datis, vocatur Comes de Moërsa & Sarwerden apud PONTANUM *Histor. Gelriæ* Lib. XI. pag. 597. Vincentii hujus filium obsidem pro Carolo apud Galliæ Regem mansisse atque in captivitate Gallica A. 1501. obiisse tradit idem PONTANUS loco allegat. pag. 591. 602. 621. At Maximilianus in literis Investituræ, Christophoro Marchioni datis, Bernardum Gerhardi Rodemacherensis filium, Vincentii Moërsensis nepotem & pupillum in Gallia mansisse obsidem, scribit; *Mambour & tuteur dudit Bernard son petit fils.* Pontani tamen sententiam Belgici scriptores sequuntur. PONTUS HEUTERUS *Rerum Austriacar.* Lib. II. cap. 12. Lib. IV. cap. 4. & HUBERTUS LOYENS in *Synopsi de Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Ducibus* pag. 174. HENNINGES in *Theatr. Geneal. Part. Priore Germaniæ* pag. 416. Bernhardum nostrum Rodemacherensem Vincentii ex filio Friderico nepotem constituit. Friderieo uxorem assignat Baronissam de Rodemachern.

Digitized by Google

CHRIST.

dixit; eaque Christophoro Marchioni, Principi sibi fido, & per quadriennium jam Gubernatori Ducatus, præstita ob officia, gratus concessit in feudum. Eidem alia quoque aliorum proscriptorum bona, nempe Comitatum S. Pauli, qui etiam Rubensis dicitur, vernacule *Roussy* (q) cum parte Dominii *Fontois* & *Berward*, item Dominia *Florenges* (r) & *Ruland* brevi post tradidit. Dynastiam vero *Pittanges* (s) quam domino de Crehanges, ob feloniæ crimen ademtam, Friderico Comiti Bitensi vendiderat, redimendi potestatem Christophoro fecit. Singula hæc post Pacem Silvanectensem A. 1494. novis literis confirmavit Maximilianus; speciale hoc quoque jus addens, ut lite super illis ditionibus mota, Christophorus coram solo Cæsare aut Romanorum Rege diceret causam. Confirmatorias donationum istarum Chartas Codex Diplomaticus dabit.

§. XVI.

Bello Bavarico involvitur.

In Belgio hæc dum suscepit Romanorum Rex, pater ejus Imperator Suevici fœderis socios contra Albertum Bavariæ Du-

(q) In Charta legitur *Ruttich*, *dicte Sainct Paul*. Comitatus inter Luxemburgum & Theodonis villam, (Diedenhofen) quem exponit BERTELIUS in *descriptione Ducatus Luxenburgensis* pag. 256. quæ extat inter Respublicas Elzevirianas. Henricus Luxenburgi Comes Chartam A. 1262. datam ita inchoat: Nos Henricus Comes Luxemburgensis, *Rubensis* & Marchio Arlunensis, apud BERTELIUM loco alleg.

(r) In Instrumento *Florhange* prope Theodonis villam.

(s) *Pettanges*, Germ. *Puttingen* inter Luxemburgum & Arlunum, *Arlon*.

Digitized by Google

CHRIST.

cem armavit. Princeps hic, sapientem quem vocant, vicinae Ratisbonae libertati insidiatus, variis artibus rem eo perduxit, ut urbs, debitis onerata & quo se verteret nescia, pristinum sibi sumeret dominum atque A. 1486. Bavaricae se subjiceret ditioni. Imperio liberam Civitatem ut restitueret Bavarus, nulla Caesaris persuasione potuit induci. Collectus est foederatorum exercitus ad Vindelicorum Augustam. Copias quoque suas adjunxit Christophorus. Sed antequam cum Alberto res devenisset ad proelium, Maximilianus, cui tranquillitas publica semper curae fuit, ad saniora eum reduxit consilia atque reconciliavit cum Caesare, quod eodem, quem exponimus, anno (1492.) evenit. Ratisbona, per sexennium libertate privata, pristinam libertatem fere nolens recepit. (t)

§. XVII.

Robertum Marcan. in ordinem cogit.

Triennio post in expeditione Belgica Maximilianum comitatus est Christophorus; S. Georgii gerens vexillum. (u)

Robertus II. Marcae Comes Roberti I. A. 1489. defuncti, filius, vir bellax & inquies, qui postea Bullionii Ducis nomen assumpsit, (x) in Leodiensis ditionis partibus Esdainum possidebat Castrum;

(t) FUGGER. *Speculum Austr.* Lib. V. cap. 40. pag. 1055. ADLZREITTER *Annal. Boicor.* Part. II. Lib. IX. cap. 45. sqq.

(u) WENCKER de *Glevenburg.* pag. 41. & 43.

(x) Roberti hujus abneptis Carolina (*Charlotte*) nupsit A. 1592. Turriano Vi-

Digitized by Google

CHRIST.

Caſtrum; (*y*) cujus præſidiarii per regiones vicinas rapinis ſuis vexabant colonos.

Philippus Archidux miſit Chriſtophorum, ut ex Luxemburgenſi, Namurcenſi atque Hannonienſi tractibus ad coërcendos prædatores tria peditum millia colligeret. Bulainium Marchio expugnat caſtellum; prædatores arbore infelici ſuſpendit; Bullionii Caſtrum tormentis quatit, incendit, evertit. Eſdainum interea magnis operibus communivit Marcanus & cum trecentis militibus fortiter defendit; denique Chriſtophoro ſe tradens, dimiſſus eſt liber. (*z*)

§. XVIII.

Gesta ejus varia.

Tunc temporis (1495.) habita ſunt illa Wormatiæ Comitia, quæ publicam quietem apud Germanos tandem ſtabiliverunt. Interfuit eis Chriſtophorus (*a*) atque a Cæſare in mandatis accepit, ut cum ordine equeſtri Ortenavico ejus nomine ageret. (*b*) Ordo ille nuper Caroli Badenſis inſtinctu, ejusdem publicæ pacis promovendæ cauſa, in corpus coiverat.

ce-Comiti Turenni Domuique huic Ducatum Bullionii & Sedani intulit.

(*y*) *Esdain* ad Moſam eſt ſitum, inter *Mezieres* & *Yvois.*

(*z*) PONTUS HEUTERUS *Rerum Auſtr.* Lib. V. cap. 4. FRANCISCUS HARAEUS in *Annalibus Brabantiæ* Tom. I. p. 494.

(*a*) TRITHEMIUS in *Chron. Hirſaug.* ad h. a. DATT *de Pace publ.* p. 494.

(*b*) DATT loc. cit. pag. 232.

Digitized by Google

CHRIST.

A. 1496. Fœderi Suevico, in triennium renovato, accessit. (c) Tum quoque Philippus Archidux, Civitatis Virdunensis Burgundiæ Gubernatorem Marchionem nostrum constituit; (d) eidemque triennio post annuam 1200. librarum assignavit pensionem.

Anno sequenti cum Eberhardo, Wirtenbergæ Duce, super advocatiam Monasterii Albæ Dominorum transegit, Maximiliano I. Imp. transactionem firmante. (e)

Dimidiam Lahræ & Mahlbergæ coëmit.

Eodem tempore Christophorus a Johanne & Jacobo, Moërsii Sarverdæque Comitibus, dimidiam partem Lahræ & Malbergæ coëmit; (f) ita quidem, ut utraque Dynastia a Sarwerdanis & Badensibus indivisim regeretur. A. 1629. fuerunt divisæ. Malberga penes Bada-Badenses mansit, Lahra ad Saræpontanos Comites, Sarverdæ heredes, transivit, qui eam deinceps Bada-Durlacensibus oppigneraverunt.

§. XIX.

Pacem publicam renovat.

Hæc dum aguntur, Christophorus fratri suo, Trevirensi Archiepiscopo, adversus Boppardienses rebelles, cum Palatino

(c) IDEM pag. 325. & 337.

(d) Chartam hanc, die 8. Januarii datam, Codex Diplom. exhibet.

(e) BESOLDI *Monumenta Wirtenb.* pag. 122. seqq. PETRI *Suevia Sacra* pag. 41.

(f) KLOCK. *Consilior.* Tom. II. Consil. 56.

Digitized by Google

Rheni & Hassiæ Landgravio adduxit auxilia, quibus Boppardia subacta. (g) Paci publicæ contrariari hæc visa sunt. Et tamen paulo post (1498) cum Ulrico Wirtenbergæ Duce in Comitiis Friburgi Brisgoviæ die 26 Julii Wormatiensis pacis publicæ fœdus in octennium Marchio noster renovavit. (h)

Regimenti Imp. consors.

Neque vero Germanicæ securitati satis prospectum esse reputaverat Cæsar; nisi & augustus Imperii constitueretur Senatus, qui repræsentaret Comitia, subitisque rebus præsens afferret remedium; Turca imminente Germanis. Senatum hunc Vigintiviralem Cæsar in Comitiis Augustanis A. 1500. Statuum Germaniæ consilio instituit, & assessorem ejus constituit Christophorum. (i) Consessus nonnisi per biennium duravit; sub Carolo V. restaurandus ad tempus.

Eodem Cæsare suffragante, eodemque anno, Fœderi Suevico, quod in duodecim annos renovatum, (k) Marchio quoque noster accessit; magna animo consilia revolvens. (l)

(g) KNIPSCHILD. de *Civitatibus Imperial.* Lib. IV. cap. 1. p. 350. Vide Johannis Archiepiscopi Trevir. vitam supra.

(h) DATT pag. 796. & 915.

(i) MVLLER. *Reichstags-Staat* Lib. I. cap. 5. RECESS. IMP. edit. *Senckenberg.* Part. II. pag. 84. Christophorus ad comitia Augustana Hermannum de Sachsenheim miserat legatum. FVGGER. *Specul. Austr.* Lib. VI. cap. 4. p. 1130.

(k) DATT. p. 350. 443. 446. & 473.

(l) Inter hæc Christophorum A. 1501. in Belgio fuisse ex Charta Bruxellis d.

Digitized by Google

§. XX.

Johannam Sausenb. filio quærit uxorem.

Aderat nimirum tempus illud, quo Linea Badensis junior, quæ Hachberga-Sausenbergica vel Rœtelana dicebatur, visa est cum Philippo ad interitum vergere. Opibus hæc multum superavit Hachbergicam, cujus terras proavus Christophori Bernhardus acquisivit. Postremi tres Sausenbergæ Marchiones Burgundiæ Ducibus addicti, principem Ducatus urbem frequentes inhabitaverunt Divionem. Guilielmus, Rudolphus, Philippus, pater, filius & nepos, in Burgundicis terris suis lubentes sederunt. Philippus, natu quintus, Christophori filius, vividi ingenii & magnæ indolis Princeps, destinatus a patre, Johannam, Philippi Sausenbergici filiam & heredem unicam, qui duceret uxorem; ut Sausenbergicæ, Rœtelanæ, Badevilerenses terræ, vel patrimoniales vel acquisitæ, cum Badensibus jungerentur & in unum corpus coirent. Philippus XXII. annorum tum juvenis in Philippi Sausenbergici aula educabatur; gener ejus, omnes ut credidere, futurus.

Christophorus, hac spe plenus, A. 1501. misit ad Philippum legatos Hermannum de Sachsenheim & Johannem de Schauenburg (*m*) cum Georgio Hosio, ab epistolis secretis, qui

27. Sept. data addiscimus, cujus mentio apud OLIVAR. UREDIVM *de Sigillis Comitum Flandriæ* p. 133.

(*m*) Prior aulicus ministerialis fuit, quem vocant *Land-Hoffmeister*. Posterior dictus est *Haus-Hoffmeister*.

Digitized by Google

Christ.

Johannam, ejus filiam, pro filio suo Philippo peterent uxorem. Originis, sanguinis, insignium communio; familiæ pacta vinculum hoc novum suadere, imo & exigere videbantur.

§. XXI.

At Marchio, Johannæ pater, audita Legatorum oratione respondit, Ludovico Galliarum Rege inscio, inscioque Amedeo, Sabaudiæ Duce, socero suo, quin & insciis vicinis sociis, per quos intellexerat Bernates, filiam in matrimonium se collocare non posse. Addidit tamen elogium agnati juvenis, Philippi Badensis, ejusque virtutes & animi dotes, multis laudibus extulit. (n) Ex responso hoc, quid intenderet Philippus, intellexerunt legati; cum repulsa inexpectata domum redituri. Christophorus post hæc aliam ingressus est viam; in id unice intentus, ut moriente Philippo, Brisgovicas ejus terras, ex mutuæ successionis pacto, ante undecim annos inito, occuparet.

Sed frustra.

Johanna Sausenbergica, Badensem ingredi quæ debuerat Domum, Longuevillanam ingressa est; atque Burgundicas & Helveticas patris hereditarias terras sibi retinuit & ad posteros suos Longuevillanos propagavit. (o)

(n) Hæc ex Bada-Durlacensis Tabularii volumine, quo Austregale Spirensis Episcopi Judicium in causa Landgraviatus Badensium exponitur.

(o) Vide Tomum I. *Histor. Zaringo-Badensis* p. 418. sqq.

Digitized by Google

§. XXII.

In Saufenberg. tamen Brisgoviæ terris fuccedit.

Rœtelenfis autem, Saufenbergica & Badevillenfis Dynaftiæ, virtute pactorum, quæ fupra expofui, ad Chriftophorum tranfierunt; perpetuo Badenfibus terris vinculo iungendæ. Enimvero terrarum iftarum incolæ, intellecto Longuevillani, poft mortem foceri, eas poftulantis, confilio, A. 1503. Rœtelenfe Caftrum muniverunt præfidio, numeroque decies mille armati in Harda convenerunt auftrali, (*p*) unanimi confenfu conftanter profeffi, nullum alium fe agnituros effe dominum, quam Chriftophorum Marchionem Badenfem.

Lites defuper cum Longuevill.

Johanna, de ablatis fibi Brisgoviæ Dynaftiis apud Helvetios conquefta, in Camera Imperiali litem intendit, quæ inter Longuevillanos & Chriftophori pofteros octoginta per annos continuata eft. Bafilienfes a Longuevillanis per aliquod tempus non fuerant alieni. Res tamen, Prætore & Senatu Bernenfi arbitris d. 28. Aug. A. 1581. duarum Principum fœminarum interventu, feptuaginta octo poft annos, compofita eft.

§. XXIII.

Transactio.

Maria Longuevillæ & Totavillæ Dux, Novi Caftri Comes, Borboniæ Dux nata, Helionori, Longuevillæ Ducis (*q*) vidua,

(*p*) *Saufenhard* in colle, qui a Slienga vicina dicitur *der Sliengenberg.*

(*q*) Frater hujus Leonori fuit Francifcus Marchio de Rothelin, quod nomen

CHRIST.

materque Henrici & Francifci, virtute poteftatis, à Galliæ Regibus, Caroló IX. ac dein Henrico III. acceptæ, ut & Anna, Caroli II. Marchionis Bada-Durlacenfis vidua, junctis trium Marchionum adolefcentium tutoribus, in urbe Berna convenerunt. Declaravit Maria, fe pro CCXXV. florenorum millium fumma, intra tres annos folvenda, omnibus juribus & actionibus liberorum fuorum, coram Judicio Camerali hucusque verfantibus, in Rœtelæ, Saufenbergæ & Badevillæ Dynaftias, oppidumque Schopfheim, folemniter renunciare. Conditum eft Renunciatianis Longuevillanæ Inftrumentum folenne, (r) eique Maria Borbonia cum Confiliariis Aulæ Comitatus Novi Caftri fubfcripfit. Bernenfis Civitatis nomine Chartam Dachfelhoferus fignavit. Adjecta funt fubfcribentium figilla.

Longuevillanæ gentis fator eft Johannes de Aurelia, Dunefii (*Dunois*) & Longuevillæ Comes, Ludovici Aureliani Ducis, qui A. 1468. deceffit, filius nothus, magni animi heros. Francifcus I. Johannis filius, pater fuit Francifci II. in cujus favorem Ludovicus XII. Galliæ Rex, Longuevillanum Comitatum A. 1505.

Longuevillanorum origo.

gentilitium ad pofteros propagavit ad hunc usque diem. Habetur ille pro filio fpurio Francifci Longuevillani, ex concubina de Bloffet fufcepto. At Bloffetam hanc legitimam Francifci uxorem fuiffe docebit ILL. HOZIERIUS Infignium Franciæ judex, ut ipfe ad me fcripfit d. 7. Dec. 1762.

(r) Authenticum in Tabulario Bada-Durlacenfi fervatur.

Digitized by Google

in Ducatum erexit. Frater junior Ludovicus, Johannæ Saufenbergicæ maritus, Rœtelani Marchionis ufus eft titulo, quamdiu frater ejus fupererat. Poftea & alia hujus Domus linea titulum *Marchionis de Rothelin* accepit. Axioma hoc Longuevillæ Ducem in transactione cum Badenfibus fibi refervaffe ZECHIUS fcribit; (*s*) at in Charta mentio refervationis non fit.

§. XXIV.

Chri-ftoph. Philippo fil. terras affignat.

Eodem anno, quo Saufenbergenfem hereditatem adierat Chriftophorus, Philippo ille filio fuo Marchionatum Badenfem, Spanhemii & Eberfteinii Comitatuum partes Badenfes, cum Dynaftia Altenfteig attribuit, ita quidem, ut omnia ad heredes transferret. Fecit hoc Heidelbergæ, Electore Philippo Ingenuo, amico fuo, præfente; quum nempe eundem Philippum cum Electoris Palatini filia Elifabetha fponfaffet. (*t*) Immutata hæc tamen funt A. 1510. Mulnbergæ, (*u*) ubi Chriftophorus inter tres filios feculares, Bernhardum, Philippum & Erneftum, ratione fucceffionis, denuo difpofuit. Sed utraque difpofitio teftamento, quod A. 1515. Chriftophorus condidit, abolita eft, ut fuo loco videbimus.

Impen-

(*s*) EUROP. HEROLD. Tom. I. p. 508.

(*t*) Die Martis poft S. Pauli converf.

(*u*) Die Veneris S. Michaëlis.

Digitized by Google

Christ. Weingarten Palatino vendit.

Impenſæ multiplices, Longuevillanæ litis cauſa faciendæ, neceſſitatem Marchioni noſtro impoſuerunt, ut A. 1504. oppidum & Caſtrum Weingarten ejusque præfecturam Philippo Ingenuo, Electori Palatino, pro 12000. florenis Rhenenſibus, cum pacto antichretico venderet. (x)

§. XXV.

A bello Bavarico abſtinet.

Acquiſiverat hæc Elector, magnam Electoratus ſui partem Bavarico mox bello perditurus; eodem nempe anno proſcriptus à Cæſare. Tum vero ſanctæ & inviolabilis fidei ac amicitiæ ſpecimen Chriſtophorus edidit. Nulla enim ratione ab ipſo Imperatore, cui alias addictiſſimus fuerat, potuit induci, ut arma contra Palatinum proſcriptum arriperet, atque adeo recuperaret non modo ea, quæ nuper vendiderat, ſed & quæ Fridericus Victorioſus ante hos quadraginta duo annos Carolo patri captivo extorſerat. Rarum Principis moderati exemplum; qui occaſionem, a fortuna oblatam, maluit contemnere, quam amicum, filii ſui ſocerum, hoſtibus obrutum, ſuis terris ſpoliare. (y) Ipſa reconciliatio

(x) TOLNERI *Hiſtor. Palat.* Cap. II. p. 54.

(y) TRITHEMIUS in *Chron. Hirſaug.* A. 1504. Notum eſt ejus dictum *Eid und Ehr, gilt bey uns mehr, dann Land und Leut gewinnen.* PAREUS *Hiſtor. Palat.* Lib. VI. Sect. I. pag. 235.

Digitized by Google

CHRIST.

Philippi Electoris cum Cæsare intercessioni Christophori tribuenda est. (z)

§. XXVI.

Eberſteinio proſcripto terras reſtituit.

Bernhardus III. Eberſteinii Comes, Palatini vaſallus & ſocius, in eodem bello a Cæſare devotus eſt diris. Bernhardinam Comitatus Eberſteinenſis partem Philippo, Chriſtophori filio, Cæſar donavit. Sed & hac liberalitate filium ſuum frui noluit Chriſtophorus, eumque induxit, ut Eberſteinenſis Comitatus ablati partem Bernhardo A. 1505. reſtitueret; quæ nonniſi ſesquiſeculo poſt, gente cum Caſimiro A. 1660. extincta, variis denique modis ad Badenſes rediit. (a)

Magnum præ ſe animum ferens.

Moderatio Chriſtophori pro vario hominum ingenio extollitur vel reprehenditur. Palatini ſcriptores eam multum dilaudant. TOLNERUS, (b) poſtquam Caſtra, oppida, diſtrictus,

(z) PONTUS HEUTERUS *Rer. Auſtr.* Lib. VI. Cap. 6. FUGGER. *Specul. Auſtr.* Lib. VI. Cap. 6. pag. 1155. ſeq. BROWERUS *Annal. Trevir.* Lib. XX. pag. 322. Cæſarem in caſtris ad Kuffſteiniam arcem Chriſtophorus adivit.

(a) ILL. PREUSCHEN. in *Diſſert. de Comit. Eberſtein.* in *Carlsruher Sammlungen* pag. 422. Imo & partem Sylvæ Gernſperg Badenſe allodium Bernhardo & poſteris in feudum maſculinum conceſſit.

(b) *Hiſtoriæ Palatinæ* pag. 104. Nec ſilentio hic prætereundus eſt Johannes ſenior, Palatino Simmerenſis, qui nullo modo potuit induci, identidem licet invitatus, ut contra Philippum Ingenuum corriperet arma, cum tamen opima quoque ſpolia ex bello iſto reportare potuiſſet.

Digitized by Google

CHRIST.

quos Bavarus, Wirtenbergicus, Haſſus, Bipontinus, Leiningenſes, Noribergenſes, quin & ipſe Maximilianus Philippo Palatino abſtulerant, enarraſſet, ſolius Chriſtophori abſtinentiam & magnanimitatem multis laudibus effert. Receptius tamen eſt Machiavelli conſilium: ampliandæ potentiæ quoties offertur occaſio, occaſione utendum.

§. XXVII.

Fœdus cum Maximil. Imp.

Florentes tum fuerant Ludovici XII. Galliæ Regis in regno ſuo & in Italia opes, ubi Mediolanenſem occupaverat Ducatum; Helvetiorum fœderatus; Longuevillani, uti vidimus, Ducis fortunæ promotor.

Siniſtri quid ab auſtro quum timuiſſet Chriſtophorus, A. 1505. die Veneris poſt Lætare contra Gallos, Helvetios aliosque cum Maximiliano Cæſare fœdus inivit, quod ſpeciatim Auſtriacas & Badenſes in Alſatia, Brisgovia & Nigra ſylva ditiones reſpexit. Wolfgangus, Furſtenbergæ Comes, Alſatiæ ſuperioris & Ortenaviæ Provinciarum Præfectus; Caſpar Baro de Mœrſperg, Advocatiæ Alſaticæ Vicarius Auſtriacus, Cæſaris nomine; David de Landeck, Rœtelanus, & Aſimus ad Lacum, Hachbergenſis Præfectus, pro Chriſtophoro Marchione fœdus firmarunt ſigillis.

Digitized by Google

CHRIST.

Spanheimensia.

Biennio ante Jacobus Joanni, propatruo suo, Electori Trevirensi, in hac dignitate successerat; Christophori filius. Hic A. 1507. cum patre & cum Johanne Palatino Simmerensi, qui maximam Comitatus Spanheimensis partem tenuerant, convenit, ut lites, ob Comitatus jura quædam cum Archiepiscopatu Trevirensi exortæ, componerentur per arbitros. (c)

§. XXVIII.

Westphalici Jud. abolitionem promovet.

Gravamina contra vetus illud inquisitorium Westphaliæ tribunal secretum, quod etiam Vemicum dicebatur, a longo jam tempore apud Germanos invaluerunt. Intolerabile visum est Imperii Statibus, cives sibi subditos, inaudita causa, ab eo judicari, damnari occulte, & à Scabinis illius Judicii, inscio ditionis domino, ubicunque deprehenderentur, occidi. (d) Sigismundus & Fridericus IV. Impp. correxerunt abusus. At Anno 1470. Westphalici illi judices eo audaciæ progressi sunt, ut ipsum Cæsarem ad tribunal suum citarent. (e) Impotentis horum judicum dominationis Argentinenses pridem pertæsi, duos eorum emissarios A. 1472. damnarunt ad suffocationem in flumine.

(c) HONTHEMIUS *Histor. Diplom. Trevir.* Tom. II. p. 582.

(d) AENEAS SYLVIUS *in Europa* cap. 37.

(e) WENCKER. in *Apparatu Archivor.* p. 383.

Digitized by Google

CHRIST.

Nefandum hoc judicium Cæſar A. 1512. aboluit. Triennio ante Chriſtophorus, atrocitatem judicii hujus quoque indignatus, Argentinenſes invitavit, ut menſe Auguſto ad Hagenoenſem Conventum, contra Weſtphalicos judices conſtitutum, ſuos quoque mitterent legatos, (f) fœdusque contra illos renovarent. Auctoritas, qua apud Cæſarem noſter Marchio polluit, judiciorum horum everſionem non parum promovit.

§. XXIX.

Lis cum Godesav.

Eodem tempore Godesavienſis Monaſterii, Durlaco vicini Abbas Jacobus, Benedictinæ familiæ, Chriſtophoro Marchioni, Advocato Cœnobii, de terris quibusdam & juribus Romæ litem intenderat. Monachi deſeruerunt Abbatem, quod temere litigaſſet. Proſequendæ liti cum negaretur pecunia, in Germaniam rediens, Abbatialem dignitatem depoſuit Abbas. (g)

Fœdus Wirtenberg.

Biennio poſt (1511) firmandæ pacis publicæ cauſa Marchio noſter ad vicennium ſpeciale fœdus cum Ulrico inivit Stutgardiæ; (h) ubi magno tum apparatu celebratæ ſunt nuptiæ, qui-

(f) WENCKER. loco alleg. p. 390.

(g) TRITHEMIUS in *Chron. Hirſaug.* ad hunc annum.

(h) DATT *de pace publ.* p. 796.

CHRIST.

bus Sabinam, Alberti IV. Bavariæ Ducis filiam, uxorem duxit Ulricus; (*i*) turbis in Imperio deinceps excitatis notissimus; a Fœdere Suevico suis terris expulsus, quod pacem publicam violasset; quam ut firmaret, cum Christophoro nunc junxerat fœdus.

Comitia Trev. & Colon.

Anno sequenti habita sunt Treviris atque Agrippinæ Coloniæ Imperii Comitia, quibus eum cum Ernesto & Philippo filiis interfuisse reperio. (*k*)

§. XXX.

Lis cum Austriacis de Sausenberg. terris.

Maximilianus Cæsar Marchionem nostrum licet impense amaverit, a Consiliariis tamen inductus est, ut Brisgovica ejus jura imminuere tentaret. Res altius repetenda est.

Reciprocum illud Rœtelense pactum, a Christophoro & Philippo A. 1490. conditum, Charta sua A. 1499. Cæsar confirmans, non modo Rœtelæ Castrum & oppidum Schopfheim feuda oppignerata, sex mille florenis reluibilia, appellat, sed & ipsis Rœtelæ, Sausenbergæ & Badevillæ terris larvam Landsassiatus inducit; falsa opinione imbutus, Landgraviatum Brisgoviæ Austria-

(*i*) TRITHEMIUS in *Chron. Hirsaug.* ad hunc annum.

(*k*) TRITHEM. ad hunc annum. FUGGER. in *Specul. Austr.* Lib. VI. cap. XV. p. 1288.

Digitized by Google

ci juris esse, eique in omnes Brisgovici Pagi terras suprematum adhaerere. Marchio clausulam, eo inscio additam, constanter rejecit atque contra eam identidem protestatus est; nihil tamen in litteris mutatum. Christ.

Ensisheimense tribunal, cui Alsatia Austriaca & Brisgovia suberant, Christophoro A. 1503. Sausenbergo - Rœtelanam hereditatem adeunte, aliquamdiu quievit. At A. 1514. Dynastiarum illarum Præfecti ad Principem referunt, quod Austriacum Regimen collectas, & militaria servitia a Marchicis exigat, quin etiam postulet, ut a judicio Rœtelano (*l*) ad Austriacum Regimen libera provocatio sit.

§. XXXI.

Jacobus Nagelius, Eques, Rœtelanæ Dynastiæ tum fuerat Præfectus. Causa hac magis magisque ingravescente Legati Helvetici Corporis, Badæ in Argovia collecti, die Martis ante Simonis & Judæ Christophoro Marchioni, quin & Civitas Basiliensis Nagelio studia sua officiaque obtulerunt. Tentata subinde est compositio litis. Austregalis Judex, Spirensis Episcopus A. 1567. Diuturna.

(*l*) Von dem Kapff zu Rœteln. Kapfengericht, habitum in Castro Rœtelensi sub dio in loco prominente qui *Kapff* vocabatur.

CHRIST.

in prima instantia pro Austriacis sententiam tulit. (m) Lento tamen gradu in Camera Imperii lis continuata est.

Sueci Exemplo Pacis, quod jam A. 1647. die 14. April. Cæsareanis obtulerant, hæc verba inseruere: „ Renunciant Archiduces Austriæ pro se & heredibus in perpetuum actionibus „ & processibus super Dynastia Rœteln aliisque ditionibus in „ Camera contra Marchiones institutis. „ (n)

Cum Isaaco Volmaro, Consiliario Cæsareo hac super re quoque egerat Fridericus V. Marchio Osnabrugæ. (o) Sed frustra laboratum.

Seculi decursu opus erat, omnis ut componeretur contentio, quam Maria Theresia denique A. 1743. terminavit, uti supra ostensum. (p)

§. XXXII.

Marchio inter filios testamento disponit.

Duodecim ante obitum annis, (1515) postquam totidem lustra vitæ cum dimidio explesset, Christophorus inter filios suos, seculo addictos, Bernhardum, Philippum, atque Ernestum postremam

(m) ADAMI Relatio de Pacificatione Westphalica cap. 28. §. 17. p. 516.

(n) A MEYERN Acta Pacis Westphal. Tom. V. p. 460.

(o) IDEM pag. 704.

(p) Tom. I. *Histor. Zaringo-Badensis* p. 413.

Digitized by Google

CHRIST.

mam divifionem terrarum & Pragmaticam fanctionem Domus conftituit, quae hodieque fervatur. Praecipua fanctionis hujus capita proponimus lectori.

1. Difpofitiones A. 1503. & 1510. a Chriftophoro factae abrogantur.

2. Bernhardus, filiorum fenior, dimidiam partem Comitatus Spanheimenfis pofterioris, una cum Luxenburgicis Dynaftiis, Rodemacher, Reichsperg, Hefperingen & Ufeldingen; jus fuper Puttingen, Ruland, quin & fuper pignus Trevirenfe Schoenenberg accepit.

3. Philippi portio Marchionatus Baden cum Altenfteig & Beinheim, loca oppignerata Neuenburg & Weingarten, Eberfteinii pars dimidia, Dominia Lahr, & Mahlberg cum vicis a Geroldseckia Domo comparatis.

4. Ernefto deftinantur Marchionatus Hachbergae, cum Ufenbergae, Roetelae, Badevillae, Saufenbergae Dynaftiis oppidoque Schopfheim, &c.

5. Officiales & fubditi futuris Principibus jurent.

6. Rudolpho filio, qui Clericus, annua centum florenorum penfio decernitur.

Digitized by Google

CHRIST.

7. Pignora ſi redimuntur, ad fundorum novorum acquiſitionem adhibeatur pecunia.

8. Singuli tres filii cum terris pecuniam, & quidquid redituum in cellis, granariis, reperitur, ut & ſupellectilem retineant. Argentea vaſa inter quatuor filios, Burgundica debita inter ſeculares tres ſolos dividantur.

9. Singuli ſua feuda accipiant, ſua onera portent; debita terris inhærentia ſolvant.

10. Quæ debita Chriſtophorus, pro Aulæ ſuæ ſuſtentatione contraxit, eorum dimidiam partem ſolus Philippus, alteram Bernhardus & Erneſtus junctim perſolvant.

11. Otilia, Chriſtophori uxor, mortuo marito, telonium Boppardiæ percipiat. Bona ejus illata ad reluendas Spanheimenſes, Lahrenſes, Mahlbergenſes terras, & ad Luxenburgenſes quasdam acquirendas adhibitæ ſunt.

12. Commendatur filiis concordia, & ſi difficultas oriatur, amica compoſitio, vel juridicum examen.

13. Singuli tres fratres utantur titulo & inſignibus Badæ.

14. Filiæ Principes omnes a ſucceſſione in terris excluduntur, quamdiu maſculi ſuperſunt.

15. Dos octo, vel decem millium florenorum illis conſtituitur.

Digitized by Google

16. Renuncient in favorem maſculorum, duodecimum quum attigerint annum.

17. Terræ ſi augeantur, ſumma quoque dotis augeatur.

18. Filii in matrimonialibus pactis addant formulam de excluſione feminarum.

19. Prohibetur alienatio terrarum.

20. Si oppignerandi neceſſitas adſit, pignus fratri & agnatis prius offeratur. Exteris ſi oppigneratio facienda, fiat cum reluitionis jure, Marchionibus Badenſibus cunctis ſervato.

21. Rami extincti filiæ octo vel decem mille floreni ſolvantur in dotem; vel, ſi monaſticam vitam eligat, debito ei modo proſpiciatur.

22. Philippus Marchio ceteris fratribus documenta illa tradat, quæ terras eorum reſpiciunt; documentorum communium eis dentur exempla.

23. Officiales & ſubditi ad Pragmaticæ hujus legis obſervationem adſtringantur.

24. Tres filii jurejurando hanc legem confirment cum jurium ſuorum, ſi quæ habeant, renunciatione.

Digitized by Google

CHRIST.

25. Sanctionis testamentariæ auctor eam denuo corroborat, firmamque ejus observationem promittit.

Non transeundum silentio est, quod Guilielmus Argentinensis Episcopus Sanctionis hujus fuit præcipuus promotor. Testes Johannes de Schauenburg Gubernator Luxenburgicus. Jacobus Kirser, Doctor juris & Cancellarius. Blicker Landschad de Steinach, Præfectus Pforzheimensis. Conradus a Venningen, Præfectus Durlacensis. Consules denique & Senatores Oppidorum Baden & Pforzheim.

Testamentaria hæc Sanctio die S. Jacobi A. 1 [illegible]1 5. condita est Pragæ.

§. XXXIII.

Regimen filiis tradit.

His ita stabilitis, Christophorus, corpore debilis, solenni Diplomate, die S. Petri ad vincula ejusdem A. 1 5 1 5. scripto, regimen terrarum, ad formam, quam memoravimus, suis tradidit filiis. Abdicavit se regimine ad quatuor annos, & ad hoc usque tempus consiliariis & officialibus fidem sibi datam remisit. Addita clausula, ne feuda vacantia novo, patris inscitu, conferrentur vasallo; neve proprio filii, sed vicario patris nomine gubernarent. Sed paullo post mentis quoque cum accessisset debilitas, Maximilianus Cæsar Literis d. 15. Jan. 1516. Augustæ Vindelicorum datis, tres filios ad anni spatium Curatores & Vicarios patris, in sua quemque portione, constituit.

Digitized by Google

Eodem anno Equitis Aurei velleris dignitas in solenni Torquatorum conventu, a Carolo Austrio, Belgii Principe, Bruxellis celebrato, translata est a patre Christophoro in filium, qui Caroli aulam sequebatur, (q) Bernhardum haud dubie, Luxenburgica qui feuda acceperat.

Accessit denique alienatio mentis, quæ filios coëgit, ut, accedente auctoritate Cæsarea, patrem veteri Castro Badensi, quod ille nuper deseruerat, A. 1518. includerent. (r)

§. XXXIV.

Pax publica Wormatiæ, ut diximus, in perpetuum stabilita, a rupibus & præcipitiis montium Germaniæ Proceres paulatim invitavit ad plana. Christophorus hanc epocham prævertit. Anno enim 1479. Castrum Badense vetus, ubi conditores & statores gentis quadringentos per annos habitaverant, reliquit, novumque Thermis oppidoque Badæ vicinum ædificavit in loco, ubi Palatium hodiernum conspicitur. Vetus viduæ Matri inhabitandum concessit. (s)

Novum Badense Castrum exstruit.

Mm 3

(q) PETIT *Chronique de Hollande* &c. Tom. I. Lib. VIII. p. 13.

(r) Conventio Philippi atque Ernesti hac super re extat, data Vigilia Visitat. Mariæ.

(s) Die convensionis Pauli. JUNGLERUS in Christophoro.

Digitized by Google

CHRIST.

Castrum vetus.

Castrum hoc montanum, ubi incunabula Gentis, unde nomen Badensis Domus profluxit, bellorum temporumque injuriis destructum, in ipsis ruderibus spectatori venerabile una cum hodierno, ad Badæ oppidum sito, tabulis æneis impressa exhibemus Lectori.

§. XXXV.

Investitura Caroli V. Imp.

Tribus post annis Carolus V. Imp. Wormatiæ Christophoro Marchioni, intervenientibus filiis ejus Philippo & Ernesto, amplissimas dedit litteras feudales d. XXVII. Febr. in quibus terræ exprimuntur sequentes: Marchionatus Badensis, Marchionatus Hachbergensis, dimidia pars Comitatus Ebersteinii, Dynastia Usenbergæ; dimidia pars Castri & oppidi Malberg. Pars Marchionum in vicis Districtus Riedæ, in Kippenheim, Ichenheim, Kirchzelle, Tundenheim, Altheim; denique vicus Stuzheim Argentinensis Episcopatus. Aurea item Argenteaque monetæ.

Literæ Clementis VII.


A. 1524. Clemens VII. Papa literis a nobili viro Marchione Badensi Christophoro petivit, ut Cardinalem Campegium, Legatum a latere, Noribergam ad Comitia Imperii proficiscentem, benigne excipiat, eique tam in conventu ipso, quam alibi opera sua adesse velit. (t)

(t) Codex Diplom. Badensis.

Digitized by Google

ad pag. 278.

TRI VETERIS PARS PRIOR.



Weis sculp. Argent:

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERIS PARS POSTERIOR.

ad pag. 278.




Digitized by Google

Digitized by Google

ad pag: 278.

TRIVETERIS LATVS MERID.



Digitized by Google

Digitized by Google

No IV.

ad pag.



Digitized by Google

Digitized by Google

§. XXXVI.

Mors Christoph. & accessiones terrarum subeo.

A. 1527. d. XXIX. Aprilis Christophorus decessit, Marchiae & Gentis suae amplificator & stator; qui Luxenburgici Ducatus Dynastias atque Dominia donatione Maximiliani, uti vidimus, partim etiam emtione acquisivit; qui Lahrae & Malbergae dimidiam partem suae Domui intulit; Sausenbergae, Rœtelae, Badevillae Dynastias, vi pacti, cum Sausenbergensium Marchione postremo initi, multo labore, magnisque impensis ad Marchionatum Badensem reduxit. (u)

Vicorum Ottenheim, Friesenheim, Oberweiler & Heiligenzell partem dimidiam, quin & partem praefecturae Schwand vicumque Tutschfelden, item duas tertias vici Weiler, cum partibus nonnullis praefecturarum Singen & Mutschelbach; tres item quaterniones vici Niefern dimidiamque vici Eisingen comparavit. Castrum Alsatiae & oppidum Beinheim a Bernhardo, Ebersteinensi Comite, redemit. Octavam Castri Zaringensis partem, vicos Gundelfingen & Reutenbach emtione ad Marchiam transtulit; quam Principum Badensium nullus tot terris adauxit.

(u) Vide supra A. 1503.

Digitized by Google

§. XXXVII.

Chara-ćter.

Ceterum Chriſtophorus pleroſque ſui ſeculi Principes dignitate oris corporiſque præcelluit. Mens ei recta, moderata, juſtitiæ, æquitatis amans, promiſſorum tenax, fallere neſcia. Imperium clementia & comitate temperavit. In toga & ſago erectus ſemper, &, prouti circumſtantiæ id exigere videbantur, vel ſeverus vel blandus. In tractatione rerum cautus & alacer; trium ſibi ſuccedentium Cæſarum amore & benevolentia per totos quadraginta annos ſine interruptione conſpicuus; qui dignitatibus, feudis, honoribus (*x*) eum omnes ornarunt. Subditos ſibi Marchiæ cives bonis inſtitutis & legibus abunde inſtruxit; ſuoque illos rexit exemplo. Codicem Juris provincialis (*Erbordnung*) A. 1511. Marchiæ ſuæ dedit. Ordinem cauſſarum in ſuis & vaſallorum atque Landſaſſiorum terris obſervandum, biennio ante præſcripſerat.

Oeconomicas ejus virtutes ſi ſpectes, alieni non appetens fuit, nec ſui profuſus; ſine avaritia parcus; ſine profuſione liberalis; caſtus unius conjugis maritus; quindecim liberorum ſine macula

(*x*) Aurei velleris torque.

Christ.

cula felicissimus pater. Aula Christophori virtutum & gratiarum fuit theatrum & schola.

Tantus Princeps decennio sibi fuit superstes; felicior dicendus, si post conditum testamentum obiisset.

Doctus illius aevi Italus, Philippus Beroaldus, Bononiensis, (y) ita de eo scribit: „ Marchio Badensis Christophorus,
„ Augustissimi Imp. Friderici III. ex sorore nepos, - - - animi
„ magnitudine virtutisque praestantia ceteris totius Germaniae
„ Principibus haud dubie antecellit; sine quo nihil memorabile
„ per hosce annos ab inclytissimo Maximiliano gestum est, cui
„ Ducatus bellici primae partes consensu Germanorum deferun-
„ tur, apud quos fortissimi Principis nomen meritissimo conse-
„ cutus est. „

§. XXXVIII.

Otilia, Christophori Conjux, ex Comitum Cattimelibocensium Domo fuit, Philippi junioris filia, Philippi senioris, Comitis suae gentis postremi, neptis; quam Avus A. 1468. desponsaverat Marchioni. Uxor Otilia.

Tabularium Electorale Palatinum me docuit, Fridericum I. cum Philippo seniore A. 1456. Oppenhemii convenisse, ut Philip- Philippo Ingen. ante promissa.

(y) In Dedicatione Libelli de *Felicitate* ad Jacobum Marchionem, filium Christophori.

CHRIST.

pus, quem deinceps appellaverunt Ingenuum, in Electoratu Palatino futurus successor, octo tum annorum puer, ubi adoleverit, Otiliam, Philippi neptem, duceret uxorem, atque adeo Cattimelibocenses terras cum Palatinis aliquando conjungeret. Otiliæ, pubertatis annos ingressæ, procos inter Christophorus Badensis comparuit. Fridericus Elector, de augendis Palatinæ Domus opibus ante omnes alios sollicitus, A. 1467. Philippi, novendecim tum annos nati, ad contrahendas has nuptias requisivit consensum, atque solennem hac super re Conventum d. IX. Sept. Heidelbergæ instituit; ad quem Wormatiensis & Spirensis Episcopi, Magister Ordinis Teutonici, præcipuique Aulæ Palatinæ proceres vocati. Sed contra omnem Friderici spem Philippus sponsalia recusavit præfracte; non semel testatus, ad ineundum matrimonium ætatis se nondum esse maturæ. Quin & insuper addidit, malle se ex Principum, quam ex Comitum classe aliquando sibi eligere uxorem. Elector indignatus repulsam, de sua Palatinas res promovendi voluntate multa testatus, ad posterorum memoriam, quæ gesta sunt, jussit perscribi. Instrumentum Heidelbergæ confectum die Mercurii post Nativitatis Mariæ. Patrui consilium Philippus si fuisset secutus, dives ille Cattimelibocensis Comitatus ad Palatinam domum haud dubie pervenisset. Fridericus cum Philippo, Otiliæ avo, cum Dominis feudorum res ita ordinaturus fuerat, a successione filiam exclusisset ut ex filio neptis.

Digitized by Google

Ita cum Chriſtophoro nuptias celebravit Otilia; cui Caſtrum Stadeck cum hominibus atque bonis; quin & ſedecies mille floreni ſuper Caſtrum Algesheim ab Avo aſſignati ſunt pro dote. (z) Alma hæc genetrix poſt quinquagenarium fere conjugium A. 1517. die XV. Aug. deceſſit.

§. XXXIX.

Sobolem ejus ordine nativitatis recenſeo.

1. Jacobus natus A. 1471. qui, jure primigenituræ neglecto, eccleſiaſticam vitam elegit; quam deinceps ſpeciatim expono.

2. Maria A. 1473. d. 2. Jul. (a) Electa Abbatiſſa Monaſterii Lucidæ Vallis, mortua 6. Id. Jun. 1519.

3. Bernhardus A. 1474. (b)

4. Carolus A. 1476. die 21. Maji. Canonicus Argentinenſis & Cuſtos, atque A. 1506. Electioni Archiepiſcopi Argent. Guilielmi de Honſtein interfuit. Collegii quoque Metropolitani

(z) Charta extat in Tabulario Bada-Badenſi.

(a) BROWERVS *Annal. Trevir.* Lib. XIX. pag. 297. ubi dies natales liberorum Chriſtophori ſollicite annotavit. JVNGLERVS jam A. 1470. natam fuiſſe tradit Mariam, quam Jacobo II. Archiepiſcopo ætate majorem conſtituit; ſed nimium, quod inter Jacobum hunc & Bernhardum relinquit, intervallum, Broweri ſententiam magis probabilem reddit.

(b) Vide Tom. III. ubi de Bernhardo III.

Digitized by Google

CHRIST.

Trevirensis Canonicum eum fuisse scribit BROWERUS. (c) Obiit A. 1510. die 7. Octobris. (d)

5. Christophorus A. 1477. pridie B. Mariæ Magdalenæ. Argentinensis & Coloniensis (e) Ecclesiarum Canonicus, obiit Durlaci A. 1508. d. 29. Mart.

6. Philippus A. 1478. Marchiæ Badensis possessor, de quo speciatim agimus infra.

(c) Lib. XIX. p. 298.

(d) JACOBVS LOCHER, in Friburgensi Lyceo vivens, Horatium Argentorati impressum A. 1497. ei dedicavit. GRVNINGERVS, illustris Argentinensium Typographus, scriptorem hunc cum iconibus multis, ligno incisis, & commentariis amplis, in forma majore, imprimi curavit; splendidum pro illo tempore opus, dignum quod Carolo dicaretur. Hic in Argentinensium summo templo sepultus est cum hac inscriptione, quæ periit.

Marchio qui fueram de Baden ædis & hujus
    Custos, vermiculis sum datus esca levis.
Qui legis hæc discas Parcarum stamina nullis,
    Nam mors quæque rapit, parcere stemmatibus.
Si domus aut pietas, inopum si cura bearent
    Quenquam, cum superis, Carole, nectar habes.

Vid. SCHADAEI *summum Argentinensium templum* pag. 74. In *Cod. MS. Monumentorum Argent.* hæc verba reperio: „ A. 1510. obiit Carolus „ Marchio Baden. Dominica post Francisci Canonicus atque custos majoris Ecclesiæ Argent. requiescat in pace. „

(e) BROWER. loc. cit.

Digitized by Google

7. Otilia d. 6. Jun. A. 1480. Abbatissa Monasterii Cisterciensis Pfortzhemii. (*f*)

8. Rudolphus IX. A. 1481. d. 16. Junii. Canonicus Ecclesiarum, Moguntinæ, Coloniensis, Argentinensis & Augustanæ, ut & Canonicus Primicerius in æde S. Stephani Metensis. (*g*) A. 1506. interfuit electioni Episcopi Argent. Guilielmi de Honstein. Obiit 9. Kal. Octobr. 1533.

9. Ernestus nat. A. 1481. (*h*)

10. Wolfgangus nat. A. 1484. d. 10. Maji. A. 1522. vivis excessit. (*i*)

11. Sibylla A. 1485. d. 26. April. (*k*) desponsata est Ludovico Comiti Nassoviæ & Saræpontis A. 1490. Dotem filiæ promisit pater 8000. florenor. Rhen. Elector Trevir. Johannes pacta firmavit litteris, datis Palatioli (*Pfæltzel*) Vigilia omnium Sanctorum 1490. (*l*) Contractus caruit effectu. Nam A. 1503. eadem

(*f*) Petri *Suevia Ecclesiast.* p. 667.

(*g*) Serarius *Rer. Mogunt.* Tom. II. pag. 339. Moguntinensem Canonicatum resignatione Jacobi fratris A. 1497. accepit.

(*h*) Vid. Tom. III.

(*i*) Ita Jvnglervs. Sed Browervs vix quadrimum vita functum esse scribit Wolfgangum.

(*k*) Browervs ponit sextam feriam quæ D. Marci præcessit.

(*l*) Extant in Tabulario Bada-Badensi.

Digitized by Google

CHRIST.

Sibylla desponsata est Philippo Hanoviæ Comiti, eique dos 5000. florenorum Rhenensium promissa, & mille floreni pro clenodiis. Literæ hac super re confectæ sunt Badæ. (*m*) Obiit Sibylla A. 1527.

12. Rosina A. 1487. d. 5. Martii, (*n*) quam inter & Franciscum Wolfgangum, Zolleranum Comitem, Maximilianus I. Rex Romanorum Brundrutti A. 1493. nuptias conciliavit. (*o*) Mortuo Wolfgango, Rosina Johanni, nobili ab Aven nupsit.

13. Johannes II. Luxemburgi A. 1490. d. 24. Sept.

14. Beatrix A. 1492. Dominica post D. Sebastiani, desponsata fuit A. 1501, Johanni, Comiti Palatino, Johannis, Comitis Palatini Simmerensis, filio. Christophorus promisit in dotem 8. millia florenor. Rhen. Contractus Simmeræ initus, consentiente Jacobo, filio Christophori, Coadjutore Archiepiscopatus Trevirensis (*p*)

15. Georgius A. 1493. Kal. Julii, quem eodem anno decessisse, sepultumque Trarbaci tradit JUNGLERUS. At vetus Tabula lignea, Christophoro vivente picta, contrarium indicat.

(*m*) Extant ibidem.

(*n*) BROWERUS ponit diem Lunæ post S. Adriani.

(*o*) Litteræ datæ an *Erigtag nach der heil. drey Kunig Tag*, extant in Tabulario Bada-Badensi. Laudat in his litteris Maximilianus officia, quæ Christophorus, ut Gubernator Luxemburgici Ducatus, ei præstitit.

(*p*) Extat Instrumentum in Tabulario Bada-Badensi.

Digitized by Google

TOPHOR

ad pag:

Ex Pinacotheca Bada. Durl.



Mart. Weis sculp. Argent.

EXPLIC

ristophorus Can monialis Pforzhemii. IV. Sibylla uxor Philippi

us. IX. Wolfga Beatrix uxor Iohannis Palatini Simmerensis.

Digitized by Google

Digitized by Google

§. XL.

Servatur ea in Bada-Durlacensis Familiæ Palatio Basileæ, repræsentans Christophorum cum Otilia decemque filiis & quinque filiabus. Suo singuli oris & corporis habitu vestituque comparent; uno solo, cujus os occulitur, excepto, quem Wolfgangum esse arbitror. Tabulam, æri incisam, exhibemus lectori. Pater thorace & aurei velleris torque ornatus, pro tegumento capitis habet retiolum, vel vitam crinalem; cui galeam solebat imponere; (q) quæ ad genua jacet. Bernhardus & Georgius filii similiter comparent mitrati. Ille cum Ernesto propagator Gentis barbatus, hic cum barba rasa comparet. Jacobus Trevirensis Elector, primogenitus, Archiepiscopali ornatu; Philippus thoracatus, sed non vittatus, cum capillis pictus est. Hi duo cum patre genibus flexis soli visuntur. Reliqua filiorum turba stat omnis erecta. Philippus, nonnisi sextus in ordine fratrum post Jacobum tamen reliquis fratribus grandior cernitur; forte quod ipse, artium præ ceteris amans, tabulam pingi curavit, primusque omnium in matrimonio vixit.

Tabula picta Familiam Christoph. repræsentans.

(q) Retiolo pileum imposuerunt pro galea extra belli tempus. Talis apparet Geldriæ Dux Carolus, qui Christophori nostri coætaneus fuit. Vide PONTANI *Hist. Gelricæ*. p. 595.

Digitized by Google

CHRIST.

Bada-Badensis & Bada-Durlacensis linearum, propagatores Bernhardus & Ernestus, sexto atque octavo loco sistuntur.

Ex Christophoriana hac sobole quatuor seligimus filios, quorum vita peculiaribus describenda capitulis. Sed præmittendi his sunt duo fratres Christophori; perdigni sane, memoria eorum ut transmittatur ad posteros, Albertus nempe & Fridericus; ille seculo, hic Ecclesiæ adscriptus; bellis uterque Belgicis clarus. Initium ab Alberto ducendum, fratrem qui superavit ætate.




CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

ALBERTUS.

§. I.



Triennio junior natu frater Christophori fuit Albertus, natus die 25. Jan. A. 1455. fidus fratris Achates. Alberti gesta.

A. 1473. magno illi apud Treviros Conventui inter Fridericum IV. Imp. & Carolum Burgundiæ Ducem, (a) ut & institutis anno insequenti Comitiis Augustanis cum Christophoro interfuit; (b) biennioque post, eodem socio, super fabricam communis monetæ cum Comitibus Wirtenbergæ conventionem inivit.

(a) Browerus *Annal. Trevir.* Lib. XIX. pag. 302.

(b) Lehmannus *Chron. Spir.* Lib. VII. Cap. 113. p. 901.

Digitized by Google

ALBERT.

Extincto Carolo I. patre, Marchionatus regimen Christophoro fratri per sexennium soli permisit. A. 1482. divisis cum eo terris, accepit Hachbergam, quam eidem denique, reservatis sibi annuatim mille florenis, iterum soli reliquit. (*c*)

Post hæc Albertus noster cognati sui Sigismundi Austriæ Archiducis, apud Tirolenses regnantis, secutus est aulam; Hohenbergici Comitatus ab eo Rector creatus.

A. 1486. Fridericum IV. Imp. & Maximilianum, Francofurti Romanorum Regem electum, ad Regiam coronationem Aquisgranum comitatus est, ubi a novo Rege ritu solenni receptus est Eques; (*d*) annoque sequenti Comitiis Norimbergensibus interfuit. (*e*)

§. II.

Obitus.

A. 1488. in auxilium Maximiliani Romanorum Regis, quem Flandrenses rebelles captivum tenuerant, una cum Chri-

(*c*) Vide supra in Christophoro.

(*d*) HERZOG. *Chron. Alsat.* Lib. II. pag. 136. FUGGER. *Spec. Austr.* Lib. V. Cap. 33. p. 954.

(*e*) FUGGER. loc. alleg. Cap. 37. pag. 975.

Digitized by Google

Albert.

ſtophoro fratre feſtinans, in oppugnatione oppidi Damm, quam Maximilianus ei commiſerat, d. 18. Julii, ſclopeti ictu periit. (*f*)

Corpus ejus Graviæ apud Brabantos depoſitum, atque deinceps translatum eſt Badam. (*g*)

Tredecim annorum juvenis, cum Suſanna, Johannis Comitis Naſſovio-Saræpontani, Walramianæ lineæ, deſponſatus eſt filia A. 1469. In dotem promiſſi ſunt ſponſæ decem mille

(*f*) Idem loco alleg. p. 1002. Pontus Heuterus *Rerum Auſtr.* Lib. III. Cap. XI. erronee Chriſtophorum tum cecidiſſe ſcribit.

(*g*) Monumenti ejus ſepulcralis inſcriptio hæc eſt „Anno Domini 1488. X. „ Cal. Aug. Illuſtris Princeps Dominus Albertus, Marchio Bad. in ex„ peditione contra Brugenſes liberandi Rom. Regis gratia in oppugna„ tione oppidi Damm jactu lethiferi teli mortem obiit.„ Herzog. *Chron. Alſat.* Lib. VII. pag. 36. indicat *Sapidi Seleſtad. Conſolationem de morte Alberti, Marchionis Badenſis, ad Guilielmum Boecklin, præfectum Rubeaquenſem.* Tractatus hic A. 1544. impreſſus eſt Argentorati, ubi Sapidus floruit. Gesner. in *Biblioth.* p. 494.

Digitized by Google

ALBERT.

floreni Rhenenſes. (*h*) Sponſalia, interveniente Alberti morte, caruerunt ſucceſſu. Johanni Seniori, Comiti Palatino Simmerenſi, Friderici filio, dein nupſit Suſanna.

(*h*) Charta extat in Tabulario Bada-Badenſi.



Digitized by Google

CAPUT III.

FRIDERICUS

EPISCOPUS ULTRAJECTENSIS.

§. I.



Fridericus filius Caroli I. Marchionis, (*a*) frater Christophori, natus d. 8. Jul. A. 1458. a tenera ætate literis imbutus est. Altiora tractaturus, invisit Lutetiam, ubi illustri præceptore, Heinlino de Lapide, (*von Stein*) Germanicæ originis viro, Doctore Sorbonico, humaniorum literarum restauratore, est usus. Heinlinus Friderici institutio.

Oo 3

(*a*) P. CORNELISSONIUS BOCKENBERGIUS GOUDANUS, in *Historia Pontificum Ultraject.* num. 55. errat, quando Fridericum Adelberti Reguli Badensis filium adpellat.

Digitized by Google

FRIDER.

cum Guilielmo Ficheto, Priore Sorbonico, politioris quoque literaturæ cultore, bonas artes promovit, eumque in finem Ulricum Gering Constantiensem cum sociis vocavit Lutetiam, ut Typographiam in Sorbonæ Domo institueret, quod ante A. 1470. factum. (*b*)

§. II.

Canonicatus.

Friderico juveni, Ecclesiæ dicato, in Cathedralibus Germaniæ Templis honores affatim decreti sunt. Coloniensis Ecclesia thesaurarii ei detulit munus. Moguntini, Trevirenses, Ultrajectenses Ecclesiarum suarum constituerunt Canonicum. (*c*)

Gesta varia.

In patrui sui, Antistitis Trevirensis, aula frequenter versatus, Confluentiæ præsens fuit conventui, in quo Confluentini rebelles A. 1483. interventu Trevirensis Capituli Archiepiscopo Principi suo reconciliati fuerunt; (*d*) quem etiam quadriennio post ad Comitia Norimbergensia comitatus est. (*e*) Sed & Fride-

(*b*) CHEVILLIER *Origine de l'Imprimerie de Paris* p. 31.

(*c*) SERARIUS *Rerum Mogunt.* Tom. II. pag. 339. Canonicatum Moguntinum Fridericus A. 1479. suscepit.

(*d*) HONTHEMIUS *Histor. Diplom. Trevir.* Tom. II. p. 467. & 470.

(*e*) FUGGER. *Specul. Austr.* Lib. V. Cap. 34. p. 964.

Digitized by Google

rico Cæsari carus, copias contra Brugenses ducentem, cum duobus fratribus sequi non destitit. (*f*)

§. III.

Fit Episcopus Ultraject.

Davides, Philippi Boni, Burgundiæ Ducis, filius naturalis, Ultrajectensium Episcopus, A. 1496. decessit. Fridericus noster (*g*) commendatione Cæsaris Maximiliani die XIII. Maji successor electus est Bredæ. (*h*)

Decimò octavo post electionem die quingentis equitibus & magna procerum corona stipatus venit Trajectum. Aderat patruus, Johannes Trevirensis, cum Christophoro Marchione, Luxemburgici Ducatus Gubernatore. Novus Antistes patruum inter & fratrem medius equo vehebatur Fridericus. Ab Ultrajectinis

(*f*) PONTUS HEUTERUS *Rerum Austr.* Lib. III. pag. 91. & FUGGER. loco alleg. Cap. 36. p. 999.

(*g*) WILHELMUS HEDA in *Histor. Episcop. Ultraject.* pag. 315. Philippum, fratrem Ducis Clivensis, a quibusdam ei oppositum fuisse scribit. Alii hoc silent.

(*h*) SUFFRIDUS PETRI in *Appendice ad Chronica Johannis de Beka* p. 165. MAPPII *Annales Juliæ & Montium* Tom. II. p. 72. PETRUS MERSSAEUS CRATEPOLIUS in *Catalogo Episcoporum Ultrajectensium* §. 75. LE PETIT *Chronique de Hollande, d'Utrecht, &c.* Tom. I. Liv. VI. p. 611. Carolum quoque Geldriæ Ducem Friderico nostro dedisse suffragium scribit PONTANUS *Histor. Gelrica* Lib. XI. p. 608.

Digitized by Google

FRIDER.

honorifice exceptus, tertioque post mense confirmatus a Papa, more majorum inauguratus est mense Septembri; (i) pedo Episcopali dignissimus Princeps, sed & dignus, qui in tranquilliora Belgii incidisset tempora; omni regiminis sui tempore turbis bellicis agitatus; nunc a ferocibus Frisiis; nunc a furente illo Carolo Geldro; nunc a vicinis Dynastis, ad arma induenda proclivibus.

§. IV.

Turbæ Wischianæ.

Initium earum in Transisalania reperimus. Fridericus in Episcopatu biennium nondum exegerat, quum Henricus, Wischii Dynasta, (k) filius Johannis, in Zutphaniæ Comitatu, injurias, sibi & majoribus a Transisalanis illatas, vindicaturus, quatuor mille milites, qui sub Alberto, Saxoniæ Duce, Frisiæque Gubernatore, nuper stipendia meruerant, rerum suarum incertos, A. 1498. collegit, belloque Daventriæ, Campenæ & Zwollæ civitatibus denunciato, (l) incendiis, rapinis, exactionibus vastavit provinciam. Fridericus laboranti provinciæ præstiturus auxilium,

(i) WILHELMUS HEDA loco alleg. REVIUS in *Historia Urbis Daventr.* Lib. II. p. 154.

(k) SLICHTENHORST in *Geldersche Geschiedenissen* Lib. XI. pag. 310. vocat eum *Heer van Wisch.* Scribitur etiam *Wis*, *Wies.*

(l) Diffidationis Wissianæ formulam exhibet REVIUS loc. alleg.

Digitized by Google

FRIDER.

auxilium, cum Carolo, Geldriæ Duce, fœdus percussit, cui Neomagus, Zutphania, Arnhemium atque Transisalanæ civitates accesserunt. (*m*) Collectis sociorum copiis, deventum ad prœlium; cui Episcopus ipse cum Carolo interfuit. Wischiani victi, in vicinas regiones dilapsi sunt fuga. Fugientes Episcopus ad Cliviæ portas usque persecutus est. Daventriam redux, captivos affecit supplicio. (*n*)

§. V.

Clivenses.

Wischianam tempestatem excepit Clivensis. Johannes Cliviæ Dux Civitati Ultrajectinæ, cum Davide Episcopo suo bellum gerenti, magnam pecuniæ summam mutuo dederat, cujus solutionem Civitas variis ex causis denegavit. Clivensis solutionem non impetrans, sine prævia clarigatione, Ultrajectinam ditionem aggressus est bello, Rhenamque oppidum occupavit. Inde progressus, Ultrajectum, provinciæ caput, obsidione vallavit; atque exustis pomœriis ejus reversus est Rhenam. Fridericus, militibus Ducis in suas partes pertractis, ipse in Clivensem Ducatum irrupit, pluribusque arcibus occupatis, ferro & flammis cuncta vastavit. Bellum ne serperet latius, Christophori Marchionis & Wilhelmi Juliaci Montiumque Ducis intercessit auctoritas. Hi

(*m*) Tabulas hujus fœderis exhibet REVIUS Lib. II. p. 159.

(*n*) Idem REVIUS pag. 160.

Digitized by Google

FRIDER.

recepto in se pacis arbitrio, Præsulem inter atque Clivensem conciliarunt inducias. Sylvæ Ducis & paulo post Coloniæ actum de pace. Præter Badensem & Juliacensem, sequestres, Ultrajectinus quoque Præsul & Johannes Clivensium Dux V. Idus Maji A. 1500. comparuerunt Coloniæ; ubi res præcipuæ terminatæ; per arbitros reliqua mox transactione composita. (*o*)

§. VI.

Grœningenses.

Wischianas & Clivenses turbas Grœningenses secutæ sunt. Maximilianus Imperator A. 1498. Albertum, Saxoniæ Ducem, ob insignia ejus in Domum Austriacam merita, hereditarium Frisiæ Gubernatorem creaverat, malo exemplo. (*p*) Frisii, libertatis tenaces, novum omne respuerunt imperium. Grœninga inter Frisiæ civitates tum extulerat caput; commerciis & fœderibus potens, quæ extrema pati, quam in Saxonis verba maluit jurare. Ab antiquis temporibus illa partem diœcesis Ultrajectinæ constituit. Præter sacerdotii jura præfecturam suburbanam Præ-

(*o*) PONTANUS *Histor. Geldr.* Lib. XI. REVIUS *Histor. Daventr.* Lib. II. pag. 161.

(*p*) UBBO EMMIUS in *Histor. Rerum Frisicar.* Lib. XXXVII. pag. 562. Addita conditio, ut Austriacis provinciam hanc solutis CCCL. millibus aureorum repetendi jus esset.

Digitized by Google

fules aliaque plura per urbem exercuerant, quæ civilibus quandoque turbis ansam præbuerunt. (*q*)

Fridericus Maximiliani Cæsaris, Saxonem foventis, auctoritate permotus, amica conventione sibi & Grœningensibus prospicere studuit. Sed Ezardus Orientalis Frisiæ Comes, A. 1499. adversus Grœninganos duxit exercitum; Alberti Saxonis imperio ut civitatem assereret. Saxonem Antistes noster subinde convenit; frustra tamen semper laboratum de pace. Grœninga Alberto denique fuit fatalis. A. 1500. enim obsidens urbem ejusque situm incautius examinans, sclopeti ictu sauciatus, ex vulnere periit; Georgio filio successore relicto. Tum vero vehementius a Grœninganis continuatum est bellum. Interventu Friderici quidem triennales cum Georgio Saxone & Edzardo Comite A. 1501. induciæ sunt initæ. Quin & apud Philippum Archiducem Gandavi de pace tractatum, sed irrito conatu. Cæsar enim A. 1505. in gratiam Saxonis Grœningenses proscripsit, literisque Argentinæ datis Friderico injunxit, ut sacra jurisdictione contentus, suas sibi res habere Grœningenses permitteret. (*r*)

(*q*) UBBO EMMIUS in *Historia urbis Groningæ* p. 18. sqq.

(*r*) Literæ VI. Kal. Octobr. datæ extant apud PONTUM HEUTERUM *Rerum Austr.* Lib. VI. p. 146.

§. VII.

Conventus Hattemenſis.

Philippum denique Bruxellis convenit Antiſtes. Conventus eodem anno inſtitutus Hattemi; ad quem Cæſaris Caſtellæ Regis ac Grœninganorum legati convenerant. Minacibus verbis Grœninganos aggreſſus eſt Cæſaris legatus; urgens eos, ut ſe ſuaque omnia Saxonis permitterent fidei. Antiſtes placide graviterque Trajectenſis Eccleſiæ in Grœningam jura & antiquas Cæſarum donationes allegavit; ſperare ſe addens, Maximilianum non violaturum ea, quæ ab antiquis conſtituta Cæſaribus; nec illuſtribus familiis ſua erepturum, ut Saxones ditet. Quodſi tamen Cæſaris animo firma hæc ſententia ſedeat, non tam degeneri ſanguine ſeſe ortum adjecit, qui injuriam, Epiſcopatui ſuo illatam, æquo animo perferat. Cum Grœninganis tamen egit, ut Ommelandiam, agri ſui partem, in quam Cæſar & Imperium ſibi jus vindicabant, relinquerent Saxoni; quod Grœningenſes recuſarunt. Fame denique & prœliis domiti, ab Antiſtite Ultrajectinis, a Tranſiſalanis deſerti, Embdanum Comitem Edzardum A. 1506. certis conditionibus receperunt in urbem.

§. VIII.

Friderici ad Pontif. querelæ.

Fridericus a Cæſare rejectus, apud Summum Pontificem de injuria ſibi facta conqueſtus eſt. Pontifex Lovanii tres judices

FRIDER. I.

nominavit, qui re examinata contra Edzardum & Grœninganos pro Præsule tulerunt sententiam. Edzardus & ipse ad Pontificem provocavit. Lis Romæ protracta. Grœningenses ab Edzardo in Caroli Geldriæ Ducis & ab eo denique A. 1536. in Caroli V. Cæsaris ditionem transierunt. (s)

Saxo juribus suis in Frisiam, jam A. 1515. accepta ab Austriacis pecuniæ summa, renuntiaverat. (t)

§. IX.

Durantibus Grœningæ turbis, bellum Geldricum erupit. Philippus Austriacus & Geldriæ Dux Carolus ob Oyæ castrum & alia inter se diffidentes, Fridericum nostrum, tradita ei arcis custodia, arbitrum constituerunt. Utrosque ille non semel mo- Bellum Geldricum I.

(s) Singula hæc late exponit UBBO EMMIUS in *Histor. Rerum Frisicar.* Lib. XXXVII. & sqq. & in *Histor. Urbis Groningæ* pag. 18. seqq. PONTANUS in *Historia Gelrica* Lib. XI. PONTUS HEUTERUS *Rerum Austr.* Lib. V. VI. & VII. REVIUS in *Histor. Daventr.* Lib. II. WILHELMUS HEDA in *Histor. Episcopor. Ultrajectens.* pag. 316. seq. HARAEUS in *Annal. Ducum Brabantiæ* Tom. I. p. 498. sqq.

(t) Georgius Saxoniæ Dux Frisiam Carolo V. Imp. dimittens, nonnisi centum millia florenorum Rhen. solvendis militum stipendiis accepit. Charta extat in UBBONIS EMMII *Histor. Rerum Frisicar.* Lib. XLVIII. p. 742.

Digitized by Google

nuerat, custodiæ castri ut persolverent sumtus. Cornelius Septimontius (*Sevenberg*) (*u*) Oyam arcem A. 1503. ex improviso occupavit, eamque Philippo, Belgii Principi, tradidit. Nata hinc belli Episcopum inter Geldrumque occasio. Ille Cuneram, Aldensaliam, Diepenhemium, oppida, a Geldris capta, recuperavit, atque in Zutphaniam & Velaviam irrumpens, arcibus deletis & regione circumquaque vastata, cum ingenti præda Daventriam reversus est. Trajectenses in omni hoc quiescentes bello, illud denique composuerunt. (*x*)

Solvendis belli sumtibus, precariam Hollandico, Zelandico, Frisicoque Clero collectam indixit Episcopus. Recusavit Clerus ad Summum Pontificem provocans. (*y*)

Alexander VI. aliam impensas solvendi viam initurus, ecclesiasticam noxarum veniam per Belgium omne & Ultrajectinam ditionem jussit annunciari, paulloque post (1503) diem obiit su-

(*u*) Cornelium hunc Sevenbergæ præfectum vocat HEDA in *Histor. Episcopor. Traject.* pag. 316. At PONTANUS *Historiæ Gelricæ* Lib. XI. pag. 624. & SLICHTENHORST Lib. XI. pag. 317. Graviæ præfectum adpellant.

(*x*) PONTANUS & HEDA locis alleg. PETIT *Chronique de Hollande* Tom. I. pag. 621. REVIUS *Histor. Daventr.* Lib. II. p. 164.

(*y*) SUFFRIDUS PETRI in *Appendice ad Johannem de Beka* p. 165.

Digitized by Google

FRIDER.

premum. Pecuniam, a quæstoribus collectam, in Diœcesi sua Fridericus; reliquam Maximilianus Cæsar retinuit. (z)

§. X.

Philippo Austr. contra Geldr. assistit.

Inter hæc Philippus Austriacus, Belgii Princeps, contra Carolum, Geldriæ Ducem, arma paravit, avitum ei erepturus Ducatum, quem nuper, a Gallis adjutus, recuperaverat, uti supra ostensum. In Ratisbonensibus Comitiis Maximilianus A. 1504. Ducem proscripsit, ac Friderico Badensi litteris, d. XIV. Sept. datis, injunxit, ut pertinacem hunc hostem nullo modo juvaret. In Geldrum ergo magno cum exercitu Archidux progressus est Philippus, eique Fridericus noster, Cæsareis obsecuturus mandatis, in castris ad Arnhemium hærenti, peditum equitumque copias non leves adduxit. Geldrus tantis viribus impar, pacem petiit supplex, quam Friderico interveniente impetravit. (a)

Sed Archidux Philippus, mortua Isabella socru, eodem anno solium Castiliæ conscendens, vix in Hispaniam abierat, cum spreta pactione Geldrus rediit ad bellum. Post quadrien-

(z) Revius Lib. II. p. 168.

(a) Pontanus Lib. XI. pag. 625. 629. seqq. Revius Lib. II. pag. 165. 169. Le Petit *Chronique de Hollande* Tom. I. Lib. VI. pag. 646.

Digitized by Google

FRIDER.

nium res denique Cameraci transacta. Transactioni Ultrajectensis Antistes quoque fuit inclusus. (*b*)

§. XI.

Bellum Geldricum II.

Perstitit tamen in animo Geldri vindictae cupido, quod cum Austriacis arma nuper contra eum Praesul conjunxit. Unde pace vix facta, (1508) Cuneram, Transisalaniae castrum, in superioris Ultrajectinae Dioecesis Frisiaeque finibus, haud ita pridem ab Episcopo emtione acquisitum, occupavit, litterisque ac ordines Transisalaniae datis, tantisper id se retenturum professus est, donec Oyae Castrum ipsi restitueretur. Episcopus e vestigio quoque militem apud Campenses conscripsit; Geldrisque ejectis, arcem recuperavit.

Rebus ita in dubio constitutis, contigit, ut bis mille milites, qui Danorum Regi adversus Lubecenses stipendia fecerant, confecto bello, redeuntes, ad Geldriae adpellerent oras. Hos Carolus Dux adversus Fridericum conduxit atque sacramento adactos, in Transisalanam ditionem immisit, Henrico quodam de Groote ductore; qui non Geldri, sed suo nomine (A. 1509.) bellum denunciavit Episcopo. Geldrus anno sequente cum omnibus copiis sese

(*b*) PONTANUS loco alleg. p. 639.

Digitized by Google

FRIDER.

fese Grotio junxit; atque in Transisalaniam omnem effusus, ingentes circumquaque rapinas egit; Aldensaliam, Diepenhemium, Goram aliaque loca expugnavit. Daventria quoque tentata, scholarium, qui se civibus junxerant, virtute servata est.

A. 1510. Fridericus, receptis Transisalaniæ oppidis, vicissim in Velaviam omnem atque Zutphaniam irrupit; cædibus & incendiis omnia complens. Initæ tandem circa festum Martini induciæ; anni sequentis initio convertendæ in pacem. (c)

§. XII.

Pax antequam componeretur, Ultrajectenses, qui alieno jam pridem fuerant in Episcopum animo, ad Geldriæ Ducem deflexi, tutelam Civitatis ei sponte obtulerunt. Conditione hac Dux cupide usus, occupat urbem, præsidiis munit, cudit monetam, aliaque Episcopi per urbem jura exercet. Iselsteinium tum quoque ab Ultrajectinis occupatum; cujus Dynasta, Florentius Egmontanus, superiore bello militaverat Friderico. At A. 1512. omnis hæc Ultrajectensium cum Episcopo suo controversia sopita est; auctoritate Margarethæ, Maximiliani Cæsaris filiæ, qui pru- Turbæ Ultraject.

(c) PONTANUS loco allegat. p. 641. REVIUS Lib. II. p. 177. & sqq.

FRIDER.

dentissimæ Principi, Caroli nepotis sui nomine, totius Belgii curam commisit. (*d*)

Ita per omne illud tempus, quo Ultrajectensem Episcopatum rexerat Fridericus Badensis, nunquam cessatum ab armis. (*e*)

§. XIII.

Episcopatu decedit.

Tot laboribus ergo & ærumnis consumptus, tranquilliorem denique vitam acturus, cogitare cœpit, qua ratione, intercedente Galliæ Rege Francisco I. Ultrajectinam cum Metensi permutare posset Ecclesiam. Rex nuntium, ab Episcopo missum, benigne audivit Lugduni. Fridericus ipse, sub specie visendi fratris Christophori Marchionis, in Germaniam superiorem se contulit, opportunius cum Francisco ut communicaret consilia. In

(*d*) HEDA in *Histor. Episcoporum Ultraject.* p. 317. PONTANUS *Hist. Gelr.* p. 642. REVIUS *Histor. Daventr.* p. 186. sqq.

(*e*) REVIUS p. 187. sqq. longam turbarum intestinarum nectit historiam, quæ ab A. 1512. Præsulem vexarunt. HEDA loco alleg. pag. 317. horum motuum causam fuisse dicit, quod Fridericus omnia sine auctoritate collegiorum, ipsisque inconsultis, egerit, exteros tantum in consilio & administratione rerum admittens, raro aut numquam se sacris immiscens. Verum originem mali in intestinis potius quærendum esse factionibus, quæ jam ante Friderici tempora apud Ultrajectenses viguerunt, egregie docuit LAMBERTVS HORTENSIUS *Rerum Ultrajectinar.* Lib. I.

Digitized by Google

FRIDER.

cathedra tum Metenſi ſedebat Johannes, Renati II. Ducis Lotharingiæ & Philippæ, quæ Caroli, Geldriæ Ducis poſtremi, ſoror erat, filius; quo ad Ultrajectinum Epiſcopatum evecto, res Gallicæ in Belgio non leve incrementum accepturæ videbantur; fœderatus Gallorum quod fuerat Geldriæ Dux.

Imperator & Carolus Archidux, perſpecto Friderici animo, nunc minis, nunc precibus apud eum egerunt, ut Metenſis Eccleſiæ obtinendæ conſilium dimitteret, atque Epiſcopatum Ultrajectinum Principi, Auſtriacis fido, relinqueret; annua penſione contentus. Paruit tantis ſuaſoribus Fridericus atque Philippi Boni, Burgundiæ Ducis, filium, qui Davidis, deceſſoris Friderici, frater erat, Auſtriacis gratum, ſibi ſucceſſorem nominavit. (f) Res A. 1515. tractata, ſed ob diſſenſum Geldriæ Ducis, Ordinumque Trajectenſis Eccleſiæ, nonniſi poſt biennium perfecta eſt. (g)

(f) HEDA loco alleg. p. 318. PONTANUS Lib. XI. p. 683. ROBERTI *Gallia Christiana* p. 186.

(g) PONTANUS pag. 676. Idibus Maji A. 1517. Epiſcopatu deceſſiſſe Fridericum refert. Ceſſionis hujus hiſtoriam latiſſime perſequitur REVIUS in *Hiſtor. Daventr.* Lib. II. p. 198. LAMBERTUS HORTENSIUS *Rerum Ultrajectinarum* Lib. I. p. 5. breviter rem exponit his verbis: „ Fri„ dericus Badenſis Marchio poſt hunc (Davidem) Epiſcopus nihilo ſe-

§. XIV.

Obitus.

Fridericus, Episcopatu deposito, pristina quoque Antistitum sede Durostadio, (*h*) ubi Rhenus Licum emittit, relicta, Lieram Brabantiæ transtulit sedem, ubi paucos post menses decessit die 24. Septembr. A. 1517. cum per totos XX. annos turbidis Trajectensium rebus præfuisset; necessitate magis, quam indole bellax.

Sepultura.

Liera corpus ejus devectum est Badam majorumque sepulcro in Collegiatæ Ecclesiæ Choro illatum, (*i*) ubi monumentum æneum, imaginem ejus exprimens, hodieque comparet.

„ licius obscuris factionibus aliquamdiu fatigatus, cum videret se inter sacrum & saxum medium versari, Davidis exemplo territus, simul ut reipublicæ quieti consuleret, homo placido modestoque ingenio, pacis tranquillitatisque amator, dignitatem in Philippum Davidis fratrem, per id tempus maris præfectum, rejecit. „

(*h*) Batavodurum apud veteres. Hodie *Wyck te Duerstat*. Medio ævo *Dorestat*, ubi Carolingorum nummi plures sunt cusi. Trajectenses Episcopi ibi habitare solebant.

(*i*) HEDA pag. 319. GERARDUS NOVIOMAGUS in *Catalogo Trajectensium Episcoporum* num. 56. & P. CORNELISSONIUS BOCKENBERGIUS GOUDANUS in *Brevi historia Pontificum Ultrajectensium* num. 56. corpus Friderici Badam translatum fuisse scribunt.

Digitized by Google

FRIDER.

§. XV.

WILHELMUS HEDA, *Canonicus Ultrajectinus*, coætaneus testis, mores Friderici nostri his verbis exponit: (*k*) „ Fridericus Episcopus paternum genus ex Domo Badensi, maternum vero ex Austria, hoc est, Friderici Imperatoris sorore ducens, vir omni virtute præditus, nisi quod sacris se raro immiscuit; affabilis, benignus & comis, magnificus in armis ac splendida mensa. „ Mores.

Alio loco (*l*) hæc addit: „ Fuit haud dubie princeps cordatus, specimen alti sanguinis, unde erat, præ se ferens. Nam provocatus, etiam impari fortuna, intrepidus, arma non detrectavit assumere, in rebelles acer, clemens in victos, suapte natura humanus atque affabilis, aulicos ac famulitium etiam infimum decenti vestitu ac Germanico more abunde opipareque enutriens &c. Præterea, sicuti mos est omnibus Germanis, auri atque æris percupidus, ultra quam conveniebat Principi &c. Legationes atque Prælatos magnifice excipiebat, venerabatur Clerum, & quotiens aliquis ex causa ad

Qq 3

(*k*) Pag. 315.

(*l*) Pag. 319.

FRIDER.

„ Doreſtatum confluebat, illum excipiebat menſa &c. Amabat „ pacem ſe averſantem. (*m*) Etiam Eccleſiæ ſuæ non ſpernen- „ da ornamenta pro ſacris myſteriis obeundis contulit &c. „

Hæc de Alberto & Friderico Chriſtophori fratribus. Nunc tranſeundum ad filios. Ex his Jacobus & Philippus ſine poſteris obierunt; Bernhardus atque Erneſtus genus propagarunt Badenſe. Duos priores huic Tomo inſerimus. Duos poſteriores cum lineis ſuis Bada-Badenſi & Bada-Durlacenſi ad noſtra usque tempora Tomus III. exhibet.


(*m*) HADRIANUS BARLANDUS in *Catalogo Epiſcoporum Ultrajectenſium* num. 56. Fridericum pacis atque otii amantiſſimum vocat.



CAPUT IV.

JACOBUS II.

Archiepiscopus Trevirensis.



§. I.

Primogenitus Christophori filius Jacobus, die 6. Junii A. 1471. in lucem editus, ob excellens ingenium, Friderici Imp. & Maximiliani Romanorum Regis consilio, Ecclesiæ se mancipavit & Musis. Cum Bernhardo & Ernesto, fratribus suis, Bononiæ Scholam adivit; illustris eo tempore Philosophi & Oratoris, Philippi Beroaldi, usus doctrina. Jacobus Bononiæ vacat literis.

Hic aureum illud *de felicitate* opusculum scripsit instinctu Jacobi, eidemque illud adscripsit; virtutes ejus Domusque splendorem & antiquitatem mire extollens. „ Hæc stemmata, in„ quit, tam clara, tam splendida, non te insolentem reddunt, A Beroaldo laudatur.

Digitized by Google

JACOB. II.

„ ut multos, ſed comem, affabilemque præſtant, ut paucos, ſi-
„ tientemque Literaturæ iſtius politioris, cujus nos jam pridem
„ ſumus Profeſſores. „ Paullo poſt addit: „ Voluiſti, ut do-
„ mus tua nova quaſi quædam me ductore & doctore Academia
„ efficeretur. „ Jam ante dixerat Beroaldus: „ Tu vero, Cla-
„ riſſime Jacobe, in ampliſſimis fortunarum bonis poſitus, im-
„ peratorio ſtemmate præfulgens, inter opes Principales indul-
„ genter enutritus juvenis, imo adoleſcens adhuc ſtudia littera-
„ rum ſitienter amplexaris, doctos foves, dasque jugiter ope-
„ ram, ut natalium tuorum ſplendor eruditione magis magisque
„ illuſtretur. &c. Degis hic (Bononiæ) nitide & magnifi-
„ center, famulitio copioſo, comitatu decentiſſimo, cultu ſplen-
„ didiſſimo monſtrabilis - - - - Agis prorſus Principem,
„ maximique Principis filium. „

In fine Opuſculi laudes Jacobi his repetit verbis: „ Tres
„ nuper quoque regulos Badenſes, lautos, magnificos, probos
„ dediſti, Germania; inter quos Jacobus eniteſcit lingua, dex-
„ teritate, comitate, cultu, mundiciis, nitore, victu clarus,
„ munificus, potens, diſertus: ſplendorque & columen Scho-
„ laſticorum. At Germania præpotens alumnos ad nos conſi-
„ miles ſubinde mitte. „

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Aliquantum temporis Bononiæ humaniores litteras quum tractasset Jacobus, induxit eum Johannes, propatruus ejus, Elector, ut commendatione Maximiliani, Romanorum Regis, & Christophori patris munitus, Romam ad Innocentium VIII. Pontificem iter susciperet. Perhumaniter ab eo exceptus est Jacobus. Diserta oratione adventus sui causam quum exposuisset Pontifici, atque patrocinio ejus sese commendasset, (a) raram adolescentis indolem & *suavissimum ingenium honestissimosque mores* admiratus Pontifex summo eum favore gratiaque complexus est; *filium* amanter appellans. (b) In Moguntina, Trevirensi & Salisburgensi provinciis tria ei reservavit beneficia. (c) Rectoralem Salisburgensis diœcesis Ecclesiam Serkirchen, quæ tum vacabat, d. VI. Id. Julii ejusdem anni contulit Jacobo. (d) Romæ cum ageret, ve- Iter ejus Romanum.

(a) Orationem hanc exhibet MULLERUS *Rastad.* in *Diario Itineris Jacobi* apud WIMPFELING. in *Append.* ad AENEAE SYLVII *Germaniam.*

(b) Vide literas Cardinal. Andegav. ad Christophor. March. in Diario allegato.

(c) IV. Kal. Febr. A. 1490.

(d) MULLERUS in *Diario* alleg.

JACOB. II.

teris Romæ curiosus, quam sollicite perscrutatus est, duos Monumentorum libros congessit, quorum mentionem faciunt BROWERUS (e) atque JUNGLERUS. Jacturam eorum non sine causa dolemus. (f)

Diarium itineris.

Itineris sui Comitem habuit Jacobus Johannem de Berwangen, Hachbergensis Provinciæ præsidem; cui pater Magistrum Adamum Fry, Ecclesiæ Badensis Cantorem, atque Johannem Mullerum de Rastetten, Juris utriusque Doctorem & Decanum Badensem, adjunxerat. MULLERUS Romanum Jacobi iter brevi consignavit Diario, cui Pontificis, Cardinalium, Friderici & Maximiliani Cæsarum atque Christophori Marchionis literas inseruit.

§. III.

Pontificis de eo testimonium.

Relicta denique Roma Jacobus A. 1490. reversus est domum cum literis, quas Pontifex ad Christophorum rescripsit. In illis inter alia Innocentius ait: „ Visus est nostro testimonio &
„ commendatione dignissimus. Nam ita se in hac Curia gessit,
„ & tam laudabiliter versatus est, ut ab omnibus maxime lau-
„ dari meruerit, & nos non potuerimus virtutis ac morum ejus

(e) *Annal. Trevir.* Lib. XX. pag. 320.

(f) JUNGLERUS eos laudat; at nunquam se vidisse testatur.

Digitized by Google

„ tuæ magnificentiæ teſtimonium non perhibere. „ Hortatur denique Marchionem, ut ad ampliora dignitatis præmia conſequenda, filium in Italiam quamprimum remittat. (*g*) Propenſior in ſtatum ſecularem tum videbatur Jacobus. At vacillantem pater in priore firmavit propoſito.

Alterum ergo eodem anno iter Romam ſuſcepit Jacobus; poſtquam Maximilianum, Romanorum Regem, adverſus Hungaros copias ducentem, inviſiſſet. Ab eo & Friderico IV. Imp. ampliſſimas ad Innocentium Pontificem literas denuo obtinuit, in quibus apud Pontificem Jacobo ſe uſurum eſſe legato profeſſus eſt Cæſar. (*h*) Iter Rom. IIdum.

§. IV.

Jacobus ab altero itinere Italico circa A. 1493. in Germaniam redux, ab Archiepiſcopo Trevirenſi conſentiente Alexandro VI. Adjutor aſſumtus; triennio poſt, vigeſimum quintum ætatis annum vix egreſſus, Imperialis Cameræ conſtitutus eſt Judex. Fit Coadjutor Trev. & Judex Cam. Imp.

(*g*) Extant litteræ apud MVLLERVM loc. alleg.

(*h*) Confer vitam Johannis Archiepiſcopi, quam ſupra expoſui, ad A. 1493. & Bullam Julii II. Pont. apud HONTHEM. *Hiſtor. Trevir. Diplom.* pag. 569.

Digitized by Google

JACOB. II.

Camerale Imperii Judicium A. 1495. die 31. Octobr. Francofurti cum aperuisset Cæsar, Eitelio Friderico, Zolleræ Comiti, præsidium commisit. Zolleranus dignitatem die 9. Dec. A. 1496. resignavit Jacobo. (i)

Fit Elector. Trevirensis.

Mortuo patruo Jacobi, Electore Trevirensi, A. 1503. inter Canonicos ortum est schisma; aliis Georgium, Comitem Palatinum, Ecclesiæ Moguntinensis Præpositum, aliis Jacobum nostrum, quem jam antea probaverant, successorem eligentibus. (k) Bellum intestinum imminere videbatur. Sed Maximiliani Cæsaris, summique Pontificis Alexandri VI. auctoritate res fuit composita. Georgius tiaram reliquit Jacobo, qui in Comitiis Hagenoensibus A. 1505. V. Id. April. a Cæsare investituram accepit; cum jam biennio ante Conventui Electorum Francofurtano interfuisset, in quo Unioni Electorali accesserat. (l)

(i) L. B. DE HARPPRECHT *Staats-Archiv des Cammergerichts* Part. II. p. 49. & 214.

(k) *Gesta Trevirorum* Cap. 173. in HONTHEMII *Prodromo Histor. Trevir.* Parte posteriore pag. 857. TRITHEMIVS in *Chron. Hirsaug.* ad A. 1503. ROBERTVS in *Gallia Christiana* p. 162. male Jacobum A. 1505. demum patruo successisse refert.

(l) MVLLER. sub Maximiliano I. Part. II. Cap. 7. & HONTHEM. *Histor. Trevir. Diplom.* Tom. II. pag. 564. ubi unionis illius tabulæ extant.

Digitized by Google

§. V.

Eodem anno celebrata sunt Coloniæ Agrippinæ Comitia, in quibus cum Nuntio Apostolico latine, cum Hispanico, Gallico, Venetoque Legatis sermones, in sua cujusque lingua, instituit, (*m*) atque Palatino-Bavaricas lites terminare quovis modo allaboravit. In iisdem Comitiis obtinuit Elector, Imperialium Civitatis Trevirensis tributorum pars minuendæ portioni suæ ut serviret in posterum. (*n*) Gesta ejus.

A. 1507. Constantiam ad Comitia se contulit, quæ Maximilianus I. indixerat, ut de Italico itinere & expeditione, quam meditabatur, Romana cum Ordinibus deliberaret. Multæ ibi de Camera Imperii constitutæ sunt leges, quibus alios inter Principes Jacobus subscripsit. (*o*)

A. 1508. Moguntiam se contulit ad Conventum, a Cæsare indictum, qui locum tamen non habuit, Cæsare aliis tum ne-

(*m*) IMHOFF. ex Melanchthone in *Notitia Procerum* Lib. IV. Cap. 8. §. 9. TRITHEM. in *Chron. Hirsaug.* ad A. 1505.

(*n*) *Gesta Trevirorum* Cap. 186.

(*o*) BROWERUS *Annal. Trevir.* Lib. XX. p. 325.

JACOB. II. gotiis distracto. (p) Jacobus, domum redux, Maximilianum I. Imp. Confluentiæ hospitem paulo post recepit; annoque sequenti in Wormatiensibus Comitiis, ubi de subsidiis, Cæsari contra Venetos præstandis, agebatur, (q) dissidia inter Civitatem & Episcopum Wormatiensem composuit.

Obitus. At A. 1511. compositurus ea, quæ inter Coloniensem Magistratum & cives exarserant, decessit Coloniæ; (r) in S. Florentii Ecclesia Confluentiæ sepultus.

(p) TRITHEM. in *Chron. Hirsaug.* ad A. 1508.

(q) Agit de Comitiis his TRITHEMIVS ad A. 1509. Ordines communi tum ore Cæsari denegarunt subsidia, causati sumtus, quos in bellum Helveticum & in multiplicata Imperii Comitia fecerint; quodque Cameracense fœdus & Venetum bellum absque Ordinum consensu Imperator inierit.

(r) D. 17. Apr. Alii Confluentiam ponunt. BROWER. l. c. p. 326. & PETRVS MERSSAEVS CRATEPOLIVS in *Catal. Episc. Trev.* §. 101. naturali morte obiisse scribunt Jacobum. AVCTOR *Gestor. Trev.* Cap. 173. eum mortuum refert, „ cum aliquot diebus apud Coloniam Agrippinam infirmitate laborasset.„ At MELANCHTHON, & qui eum sequitur, IMHOFFIVS in *Notitia Procerum Imperii* Lib. IV. Cap. 8. §. 9. nec non DROLLINGERVS in *Lexico Basil.* Art. *Jacobus* a sutore Confluentino interfectum tradunt; eique haud obscure adulterii crimen impingunt. Haud multum abludit AVCTOR *Chron. Hassiaci* Cap. 81. apud SENCKEN-

Digitized by Google

Jacob. II.

§. VI.

Mores.

Proficuum Ecclesiæ suæ Antistitem fuisse Jacobum ex iis, quæ diximus, satis elucet. Plura dispersa vel oppignerata bona ad eam reduxit; patrui sui imitatus exemplum. Cum Trevirensi Civitate litem super monetam & alia per Capitulum composuit. (s) Princeps eruditus, qui Pontificibus, Impera-

berg. in *Selectis Juris & Historiarum* Tom. V. pag. 508. seq. ictibus, a pellione Confluentino illatis, eum obiisse scribens; quem confutat Hontheimius *Histor. Trevir. Diplom.* Tom. II. pag. 584. Trithemius in *Chron. Hirsaug.* ad A. 1511. Jacobi mortem his verbis exponit. „ Mortuus est Jacobus ex Marchionibus de Baden, Archiepiscopus „ Trevirorum, anno Pontificatus sui octavo, in florida ætate, nec- „ dum annorum quinquaginta. Princeps nobilis, doctus & satis ad „ regimen ecclesiasticum idoneus - - - - cujus obitus quantum „ contristaverit Christophorum patrem ejus, Marchionem Badensem „ noverunt omnes, qui ejus sunt præsentes contubernio. „

(s) Browerus *Annal. Trevir.* Lib. XX. pag. 322. has lites exponit. Instrumenta transactionis exhibet Hontheim *Histor. Trevir. Diplomat.* Tom. II. p. 575. seq.

Digitized by Google

JACOB. II.

toribus, Principibus propter facundiam & multiplicem doctrinam in delicio fuit.

Laudes ejus *Gestorum Trevir.* AUCTOR ANONYMUS his verbis enarrat: (*t*) „ Vir erat integer, benignus, libera-
„ lis, literis sufficienter imbutus, quas a Philippo Beroaldo ac-
„ cepit eratque præclari ingenii & excelsi animi, cujus susci-
„ piendam & observandam beneficentiam idem Philippus non
„ tacuit, - - - - Principibus omnibus carus, Imperato-
„ ri tam sanguinis affinitate, quam applicationibus dotibusque
„ variis convinctus. Hoc uno idem Imperator Maximilianus se
„ sapientiorem & expertiorem habere dicebat neminem, cui tu-
„ tius regni Imperiique negotia crederet, cui singularius & spe-
„ cialius adhæreret. Jam erat excellentissimus Princeps & Ar-
„ chiepiscopus venerandus in opere, ut res patrias augmenta-
„ ret, impignerata redimeret, tum ecce omnium rerum acerbis-
„ sima mors præter spem & opinionem, inque totius Provinciæ
„ dispendium illum invadit. „

In

(*t*) Cap. 173. in *Prodromo* HONTHEMII *Parte Poster:* pag. 857. Add. KYRIANDER in *Annal. de Augusta Trevir.* Part. XV. pag. 211.

Digitized by Google

In eandem ſententiam IRENICUS: (u) „ Alio, in-
„ quit, me vocat Jacobus Marchio Badenſis, quo nihil erudi-
„ tius, ſublimius, innocentius, præſtantius, Germania produ-
„ xit: omnibus virtutis numeris perfectus, in ejusdem (Trevi-
„ renſis) Eccleſiæ Archiepiſcopum abivit: robuſto ac virili in-
„ genio inſtructus, ſive ſubita, ſive meditata proferret, extem-
„ porali facultate præditus fuit, ut tantum doctrinæ huic Beroal-
„ dus noſter præſtiterit, quantum nec alteri, ut etiam elegan-
„ tiſſimum de Philoſophorum ſymbolo librum honori ejus divul-
„ gaverit. Hunc ante diem acerba mors damnavit, quem poſt-
„ quam numero viventium ſubtraxit, cœleſtibus adjecit: Nec
„ quicquam inter vulnera totius Marchionatus ingratius illius
„ caſu intercidere potuiſſet. Dum enim adhuc inter vivos con-
„ ſtitit, omni virtute functus, tantos ingenii fructus, tantam de
„ ſe ſpem dedit, qua feliciter pene tota patria noſtra niteba-
„ tur. XXX. ingreſſus annum in flore ætatis ab invidia fato-
„ rum interceptus eſt. „

(u) In *Exegeſi Germaniæ* pag. 158.

JACOB. II.

Nummum ejus retulit HONTHEMIUS, (x) quem suo loco inter nnmmos exhibemus Badenses.

(x) *Histor. Trevir.* Tom. II. pag. 885. *Groschen-Cabinet* Tom. IV. Tab. XIII. num. 112.




CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

PHILIPPUS I.



§. I.

Tertiogenitus Christophori filius, excellentis ac floridi ingenii Princeps, Philippus A. 1479. d. 6. Nov. Domui Badensi datus; a teneris annis artibus pacis bellique feliciter innutritus est. Philippus I.

Militiam Gallicam sequebatur juvenis, uti Abavus olim, Ducibus Aureliani addictus. Ludovici Aurelianensis stipendiarium fuisse Marchionem Bernhardum, suo loco ostendi. Ludovicum XII. Galliæ Regem, ejusdem Aureliæ Principis nepotem, in Italica expeditione Philippus comitatus est miles; Mediolanensem Ducatum, patrimonium avitum, cum Rex armis quæsivisset. Errat enim sepulcralis epigraphes, in Collegiata Badensi Philippo positæ, (*a*) anonymus auctor, qui Mediolani expugnationem Expeditio Mediolan.

(*a*) Inscriptio infra exhibetur.

Digitized by Google

PHILIP. I.

Carolo VIII. adſcribit. Hic Ludovicum Morum, Inſubriæ Ducem, fovit, eique ſolium Ducale, quod uſurpaverat, firmavit. Ludovicus XII. uſurpatorem evertit & A. 1500. captivum in Galliam abduxit. (*b*)

§. II.

Expeditio Turcica.

Anno ſequente Galliæ Rex omnes vires ſuas in Regnum Neapolitanum convertit, deceſſoris ſui in illud regnum jura vindicaturus. Sed & eodem tempore Venetis, gravi cum Bajazethe II. Turcarum Sultano, bello implicitis, auxilia ſe miſſurum promiſit. Armata tum XX. navium claſſis, eique præfectus a Rege Philippus Ravenſteinius, Gubernator Genuenſis; ſub quo Badenſis noſter Philippus, XXII. annorum juvenis, militari cum imperio navim ducebat. (*c*) Claſſis hæc ex Portu Telonienſi ſolvens, A. 1501. Genuam adpulit, aſſumtisque ibi militibus, celeri curſu Neapolim contendit. Ibi Ravenſteinius Fridericum Neapoleos Regem, maxima regni parte a Gallis pulſum, adegit, ut Aenaria inſula,

(*b*) CORIO *Hiſtoria di Milano* Parte ſettima. GVICCIARDINI *Hiſt. Ital.* Lib. I. JEAN D'AVTON *Hiſtoire de Louis XII.* Cap. 32. & 38. ſeqq. Autonus hic ex Auguſtinianorum ordine nobilis, Ludovici XII. juſſu hiſtoriam ejus ſcripſit, quam THEODORVS GODEFREDVS edidit Lutetiæ 1620.

(*c*) JEAN D'AVTON Chap. 45. ita ſcribit: „ Le Marquis de Bade eſtoit „ Capitaine de la nef nommée le Marais. „ In Inſcriptione ſepulcrali parti claſſis dicitur præfuiſſe.

Digitized by Google

(*Ischia*) quo confugerat, relicta, supplex in Galliam ad Ludovicum XII. Regem se conferret. (*d*) Neapoli Ravensteinius mense Augusto in Archipelagum Græciæ cursum suum direxit atque ad Melum (Milo) insulam cum Venetorum classe, cui Benedictus Pisaurus præerat, sese conjunxit. Inde communi consensu maris Aegei Asiæque minoris insulam Lesbum Galli Venetique petierunt, metropolin ejus Mitylenen, Turcarum propugnaculum, obsidione cincturi. Quo cum ventum esset, nondum expositis in terram copiis, erumpentes ex urbe Turcæ levibus prœliis Christianos lacesserunt. Badensis tum, juvenili ardore correptus, facta sibi a Ravensteinio potestate, cum exigua nobilium manu Turcas invadit, multos cædit, reliquos in fugam compellit. (*e*) Urbs graviter obsessa, sæpiusque oppugnata, capi tamen non potuit; dominantem urbi arcem strenue quod defenderant Turcæ. Ravensteinius Gallorum & Pisaurus Venetorum Duces, multis viris fortibus amissis, obsidionem solvere coacti sunt. (*f*) Similem fortunam ante hos XXXVI. annos expertus fuerat Justinianus Ursatus, Dux Venetorum fortissimus, qui ab ejusdem urbis

Ss 3

(*d*) AVTON Cap. 56.

(*e*) AVTON Cap. 7. pag. 284. Idem Philippus in oppugnatione urbis fortiter dimicans, grave vulnus accepit. AVTON pag. 298.

(*f*) JVSTINIANVS *Histor. Venetæ* Lib. X. pag. 211. PETRVS BEMBVS *Histor. Venetæ* Lib. VI. pag. 200. AVTON Cap. 72. LEVNCLAVII *Annales Turcici* ad A. 1501.

PHILIPP. I.

oppugnatione, magna ſuorum clade rejectus eſt. (g) Galli deſerentes Piſaurum cum claſſe diſceſſerunt.

Finito hoc bello in Hiſpaniam abiit Philippus, Ferdinandum inviſurus Catholicum; cujus filiam Johannam, Monarchiæ heredem, Philippus Auſtriacus duxit in matrimonium; nepos Friderici IV. Imperatoris; cujus ſororis nepos fuerat Philippus noſter Badenſis.

§. III.

Eberſteinenſia.

In Germaniam redux, a Maximiliano I. Imp. amice exceptus eſt. In bello enim Palatino-Bavarico, Bernhardus, Eberſteinii Comes, Ruperto Palatino adhærens, cum eo quum fuiſſet proſcriptus, Eberſteinenſem Bernhardi Comitatus partem gratuita donatione Cæſar tradidit Philippo. Chriſtophorus, Comitis amicus, filium induxit, ut omnem Eberſteinii Comitatum redderet Bernhardo, ut ſupra oſtenſum. Quin & Marchicam partem ſilvæ Gernſperg eidem Bernhardo in feudum maſculinum contulit. Bernhardus Comitatum, hucuſque diviſum, in unum corpus indiviſum collegit, eumque Marchioni communi conſilio & jure poſſidendum regendumque conceſſit, pacemque per omnia caſtra, vicos & oppida Eberſteinenſis Comitatus perpetuam, inivit; va-

(g) ANTON. SABELLICVS *Hiſtor. Rerum Venetar.* Parte altera Lib. VIII. pag. 726. JVSTINIANVS Lib. VIII. pag. 158.

Digitized by Google

fallum, Consiliarium & Ministerialem Marchionatus se dixit. (*h*)

A. 1506. Wilhelmus de Hohenstein, Argentinensis Episcopus, solenni majorum ceremonia cathedram suam occupaturus, quum urbem intrasset, comes & amicus Episcopi Philippus interfuit pompæ. (*i*)

In divisione paterna omnem ille Marchionatum Badensem, ut & Marchicam partem Comitatus Eberstein, Dynastiarumque Gerolzeck, Malberg & Lahr accepit; patre ejus portionem augente, quod præ fratribus vi ingenii, atque prudentia singulari polleret. Hereditas paterna.

§. IV.

A. 1521. d. 4. Junii Carolus V. Imp. Moguntiæ agens, Hieronymum Brunnerum, Advocatum Keisersbergensem, ad Philippum Marchionem Badensem, (*k*) cum literis misit, ut eum de suscepto contra Regem Galliæ bello certiorem faceret, Imperii negotia tractat.

(*h*) Der Marggravschafft Baden Mann, Rath und Diener. In Christophoro Marchione Ebersteinia hæc quoque attigi, ad quæ redeundum Lectori.

(*i*) *Chron. Mscpt.* Anonymi Argent. Add. Herzogii *Chron. Alsat.* Lib. IV. pag. 119.

(*k*) Cæsar eum vocat „ Den Hochgebornen Philipsen Marggraven zu Baden „ u. Grafen zu Spanheim, unsern lieben Oheim, Fursten, Rath und „ Statthalter unsers Lands Lutzemburg. „

PHILIP. I.

ejusdemque Regis consilia manifestaret, qui Alsatiam, Sundgoviam, Brisgoviam & Nigram silvam, Ulrici Wirtenbergici, Ducatu suo exulantis, ut & Comitis Wilhelmi de Fürstenberg auxilio invadere decreverat; terris suis ut restitueret Ducem. Rogatur Philippus, ut Comitiis provincialibus, Ensishemii propediem habendis, intersit; de securitate communi servanda cum ceteris deliberet, fœdus mutuæ defensionis, a patre ejus Christophoro ratione Hachbergicæ & Rœtelanæ ditionum cum Austriacis provinciis olim initum, renovet, atque ad terras Badenses, Episcopum Argent. & Ducatum Wirtenberg. illud extendat; fœderis hujus præsidium bellique summam potestatem suscipiat. Comparuit Ensishemii Philippus cum Wilhelmo Præsule Argentinensi, eoque fratrem quoque suum Ernestum invitavit. Aderant ibidem pro Cæsare Rudolfus, Sulzensis Comes, Georgius de Firmian, Mareschallus, & Hieronymus Brunnerus. At omne hoc Alsato-Brisgovicum bellum suffocatum in partu.

Extinctum Regimentum Imperii Carolus V. Procerum impulsu A. 1521. cum restaurare cogeretur, in patris viventis locum Philippus huic Senatui adscriptus est. (*l*) Imo in Comitiis A. 1523. Cæsarei Præsidis functus est munere. (*m*) Anno sequente Cæsaris & Ferdinandi in Imperii Regimento vices peregit;

(*l*) RECESSUS IMP. Tom. II. pag. 205.

(*m*) REC. IMP. A. 1523.

git; (n) quod & in Comitiis, A. 1526. Eslingæ Turcici belli caussa habitis, factum esse, ex Recessu Imperii, in quo ut Præses primo loco nominatur, comperimus.

§. V.

Politica hæc inter negotia rabidus ille rusticorum furor erupit; cujus contagium mox Sueviam, Alsatiam, Franconiam, Thuringiam, aliaque loca infecit. In tractu Spirigoviæ, qui vulgo *Brurhein*, (o) cujus caput Bruchsalia, vicus est *Malsch*, ubi rusticorum turba classicum cecinit circa Martias Kalendas A. 1525. Durlacenses, Philippo Marchioni subjecti, seditionis participes, Principis Præfecto carceri incluso, bis mille quingentos tumultuantium rusticorum in suum oppidum receperunt. In vico Barghausen multi quoque rebelles reperti sunt. Domos eorum exussit Philippus. Rustici, facti ferociores, Godesaviæ, Albæ Dominorum, Albæ Dominarum aliaque cis & trans Rhenum Monasteria occuparunt, diripuerunt. Periere tum Docu- Bello Rusticano involvitur.

(n) MULLER. in *Staats-Cabinet* Part. I. Cap. 4. §. 30. seqq. Anno hoc cum Friderico Palatino ad Senatum Argentinensem in religionis caussa literas scripsit. SLEIDAN. Lib. IV. p. 100.

(o) *Brurhein*, *Brusal*, communem habent nominis originem. Sal a copia salis, quo locus ille abundaverat olim. *Rain* collem molliter declivem notat, qualis amœnus ille collis est, qui Bruchsaliam ambit.

Digitized by Google

menta & Chartæ Cœnobiorum, quod & permultis in Alſatia ſuperiore ac inferiore Monaſteriis evenit. Tot malis commotus Marchio noſter ingreſſus eſt clementiæ viam. Rebelles, a Principe in gratiam recepti, ad obſequium redierunt. Quibus conditionibus id factum ſit, nec Crinitus, (p) nec Leodius, (q) nec Gnodalius, (r) bellorum ruſticanorum ſcriptores, nec alii illius temporis exponunt. Id tamen certum, quod Marchia tranquillata, belli hujus flamma in Spirigovia, Palatinatu & Alſatia adhuc duraverit.

§. VI.

Res Sueviæ ordinat.

A. 1531. & 1532. Philippus noſter cum Philippo, Comite Palatino Rheni, inſigni illo belli heroe, cui pro defenſæ nuper contra Turcas Vindobonæ præmio Wirtenbergici Ducatus, Ulrico erepti, regimen conceſſerat Cæſar, varia Sueviæ Ordinum Comitia celebravit, in quibus ſua potiſſimum auctoritate publi-

(p) PETRVS CRINITVS (*Harer*) Electori Palatino a ſecretis in *Hiſtoria Ruſticorum tumultuum* Alberto Cardinali & Electori Moguntino, qui A. 1545. deceſſit, dedicata Cap. 24. apud FREHERVM *Scriptor. Rer Germ.* Tom. III. p. 147.

(q) HVB. THOMAS LEODIVS *Hiſtoria ſeditionis ruſticanæ* pag. 290. apud FREHERVM loc. alleg.

(r) PETRVS GNODALIVS *de Ruſticis tumult.* Lib. II. pag. 145. apud SCHARD. *Scriptor.* Tom. II.

Digitized by Google

PHILIP. I.

cum Sueviæ ſtatum Marchio ordinavit; Dux Suevici Circuli cum Philippo Palatino creatus. (*s*)

Obitus Phil. I. Obiit Philippus A. 1533. (*t*) XVII. Sept. cum vixiſſet annos LIV. menſes X. dies VIII. Badæ ſepultus; ab Erneſto, fratris virtutum æmulo, ſepulcrali monumento in Eccleſia Collegiata ornatus. (*u*)

(*s*) *Schwæbiſche Creyß-Abſchied* de dato *Eßlingen* 18 Apr. 1531. & *Weil* 9. Jul. 1532.

(*t*) CHYTRAEUS in *Chronico Saxoniæ* Lib. III. pag. 129. Philippum A. 1539. mortuum aſſerit; ſexennii errore.

(*u*) Epitaphium hoc eſt:

FID. DEI. S.

ILLUSTRI PR. PHILIPPO MARCHIONI BADENSI HABITU CORPORIS ET DIGNITATE FORMAE SINGULARI EQUESTREM MILICIAM PRIMUM SUB CAROLO VIII. R. FR. AD MEDIOLANUM EXPUGNATUM OBEUNTI MARI PARTIS CLASSIS AD MITYLENEN OPPUGNATAM PRAEFECTO HISPANIIS GALLIISQUE PERAGRATIS IMPERII AUGUSTI SUB CAROLO QN. CAESARE PER GERMANIAM VICARIO TERRA MARIQUE MAGNARUM RERUM USUM EXPERTO DOMI PRUDENTIA ET MODERATIONE AD CIVES BENE DE PATRIA MERITO PR. ERNESTUS

§. VII.

Chara- cter ejus.

Ceterum Philippus noster Literarum & Literatorum, speciatim Francisci Irenici, Etlingæ in terris Badensibus nati, fuit fautor insignis. Vitam ejus duobus libris conscripsit IRENICUS, temporum qui perierunt injuria. Alio in loco (x) eum ita alloquitur: „ Hæc ob tuam voluntatem ingressus sum, Philippe „ Princeps maxime, & quæ ad nominis tui gloriam attinere vi„ dimus. Reliqua, quæ de te concepimus, duobus libris absol„ vimus, qui postquam satis maturuerint, auspicato sidere æque „ in vulgus abibunt. „ Scripsit hæc IRENICUS A. 1518 Hagenoæ, ubi prima Germaniæ Exegesis tum prodiit editio.

Idem IRENICUS Hieronymum Aleandrum & Philippum Beroaldum Philippi nostri Marchionis laudes celebrasse memorat (y) his verbis: „ Philippus felici sydere tredecimus „ Marchio Badensibus obvenit, ab Hieronymo Aleandro ac Phi„ lippo Beroaldo tot laudibus prosecutus, qui & nostro ævo ad„ ministrandæ reipublicæ natus, Marchionatum pace atque bel-

FRATRI GERMANO EX TESTAMEMTO POSUIT VIXIT ANNOS LIV. MENSES X. DIES X. OBIIT ANNO CHRISTI MDXXXIII. MENS. SEPTEMBRI DIE XVII.

(x) *Exegeseos Germaniæ* Lib. III. Cap. 104. pag. 160.

(y) Lib. III. Cap. 100. pag. 158.

Digitized by Google

„ lo inclitus, justo fasce, regimine subditos auspicatissimo con-
„ servat atque ampliat. „

Favit ille religioni Lutheranæ per aliquot annos; at A. 1532. pastores Evangelicos ejecit, Caroli V. Imp. in Sueviam adventu, ut videtur, perterritus. Protestantium sacra tamen aperte professus est nunquam. Cancellarius ejus Vehus in Wormatiensibus Comitiis 1521. docta oratione studuit persuadere Luthero, ut ab instituto desisteret. Jo. Ungererus, concionator Philippi permittente eo, matrimonium inivit. A. 1529. & 30. Durlaci impressa est Germanica versio partis Bibliorum Lutheri. (z) Favet Lutheranis.

§. VIII.

Philippi conjux fuit Elisabetha, Philippi Electoris Palatini filia; Wilhelmi Hassiæ Landgravii vidua; cum qua A. 1503. nuptias celebravit. Elector filiæ suæ dedit in dotem Spanheimensis Comitatus partem, quam Fridericus Palatinus Badensi eripuerat Carolo. Obiit Elisabetha A. 1522. d. 24. Junii. Cum ea Philippus VI. genuit liberos. Uxor & Liberi.

1. Jacobea A. 1507. die 25. Junii nata; quæ Wilhelmo Bavariæ Duci nupsit A. 1522. † 1580. 15. Nov.

2. Philippus natus 1508. † 1509. 16. Febr.

(z) In Bibliotheca Bada-Durlacensi, quæ Basileæ servatur, Bibliorum hujus typi extat exemplum, forma, quam quartam appellant.

Digitized by Google

PHILIP I.

3. Philippus Jacobus ſtatim poſt baptiſmum mortuus 1511.

4. Maria Eva nata 1513. 10. Jan. poſt baptiſmum quoque defuncta.

5. Johannes Adamus natus & denatus 1516.

6. Maximilianus Cæſar natus & denatus 1519.

Pacta de ſucceſſione Phil.

Jacobea ex liberis his ſola patri quum fuiſſet ſuperſtes, terræ ad Philippi fratres, Bernhardum atque Erneſtum, pervenerunt. Iidem cum Wilhelmo Bavariæ Duce, affine ſuo, ſuper hereditatem fratris transactionem inierunt die Veneris poſt Judica A. 1534. Bernhardus quum deceſſiſſet A. 1537. tutores filiorum ejus, Wilhelmus Bavariæ Dux & Johannes Simmerenſis, cum Erneſto Bada-Durlacenſi, circa Philippi ſucceſſionem ejusque debita, nova pacta inierunt; (*a*) quæ tamen a pupillis, majorem ætatem adeptis, Philiberto & Chriſtophoro, & præſertim ab hujus filio, Eduardo Fortunato, fuerunt neglecta.

Philippus Marchio, maſculis qui ſucceſſoribus caruit, claudit Tomum ſecundum. Fratres propagatores Gentis exhibet tertius.

(*a*) Conf. *Gründlicher wahrhaffter Bericht Ernſt Friederich* pag. 10.

FINIS TOMI II.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


DO NOT CIRCULATE

Digitized by Google





B 485981



Digitized by Google